232.931C
W67

THE GENERAL THEOLOGICAL
SEMINARY LIBRARY
CHELSEA SQUARE, NEW YORK II, N. Y.

Dean Hoffman Fund

BIBLIOTHECA FRANCISCANA SCHOLASTICA

MEDII AEVI

Tom. III.

FR. GULIELMI GUARRAE

FR. IOANNIS DUNS SCOTI, FR. PETRI AUREOLI

QUAESTIONES DISPUTATAE

DE

IMMACULATA CONCEPTIONE

BEATAE MARIAE VIRGINIS

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1904.

232.92 L
W67

128942

Proprietas litteraria.

REGINAE

SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAE

ANNO QUINQUAGESIMO

A DOGMATICA DEFINITIONE

HUIUS BEATAE VIRGINIS PRIVILEGII

SOLEMNITER PRONUNTIATA.

PRAEFATIO

Recurrit iam anniversarius quinquagesimus illius diei faustissimi, a saeculis et nationibus desiderati, quo Pius IX s. m. immunitatem beatae Virginis Mariae a labe communi solemniter edixit et hoc ipsius singulare privilegium cunctis fidelibus credendum declaravit. Inter tot quae ad filialem amorem et cordis iubilum exhibendum ubique offeruntur dona et opera, et Collegium nostrum suum tributum afferre desiderat.

Nec difficulter munus conveniens invenimus. Neminem latet, theologos ordinis fratrum minorum duces fuisse et milites fortiores in acri certamine, quod per plura saecula circa doctrinam de Immaculata Conceptione gesserunt theologi. In illorum, qui in hac pugna gloriosa prima inter fratres minores vexilla praetulerunt aliisque arma victricia paravere, scripta animos nostros intendimus; et seligentes plura, quae ipsi de privilegio Mariano praeclare dixerunt, illa edenda suscepimus. Iuvat multum initia huius certaminis inspicere, et gratum animum prodit merita praedecessorum in memoriam revocare.

Praemisimus quaedam de primordiis doctrinae in scholis franciscanis; post quae nonnulla dicuntur de ratione nostrae editionis.

CAPUT I.

De primordiis doctrinae de Immaculata Conceptione B. M. V. in scholis franciscanis.

Cum doctrina de Immaculata Conceptione neque in sacra scriptura neque in traditione disertis verbis et explicite habeatur, mirandum non est, quod doctrina haec per plura saecula multos adversarios invenit. Scholastici praesertim in primis theologiae scholasticae temporibus quaestionem de hoc privilegio Mariae vel neglexerunt vel minus accurate proposuerunt vel omnino reiecerunt.

Extra dubium est, iam ante initia scholasticorum apud doctos, etiam in ecclesiis *occidentis*, doctrinam de Immaculata Conceptione Dei matris viguisse. Saeculo IX e. g. *Paschasius Radbertus* dicit[1]: « Eximiae pietatis esse honorem et decus virtutis, beatissimae Virginis pudicitiam praedicare incorruptam et incontaminatam et ab omni contagione primae originis confiteri alienam »; et *Fulbertus Carnotensis* diserte proclamat[2]: « Ab initio suae procreationis nunquam abfuisse credendus est Spiritus sanctus ab ista eximia puella ». Certum pariter est, eodem fere tempore in Angliae ecclesias *festum* conceptionis introductum esse[3].

Primi dogmatis nostri adversarii in occidente, *S. Bernardo* duce, *principaliter* contra *festum conceptionis* nitebantur. In *Epistola ad canonicos Lugdunenses*, qui festum introduxerant, sanctus edicit se beatae Virginis pium cultorem, at iuxta mentem ecclesiae; sed de festo ait[4]: « Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere. Si ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat; restat, ut post conceptum in utero iam exsistens sanctificationem accepisse credatur ». Quibus verbis iam ipsi doctrinae de Immaculata Conceptione adversatur. Magnae vero auctoritati, qua S. Bernardus in Gallia usus est, multum debetur, quod per longius tempus theologi in *Gallia*, inprimis studium *Parisiense*, eandem doctrinam impugnarunt. Alexander Halensis e. g. in triplici quaestione, quam de *sanctificatione beatae Virginis* ponit, pro argumento sententiam in medium praefert Bernardi.

Aliter res se habuit in *Anglia*. Ibi iam dudum, uti dictum est, festum sanctae Conceptionis celebrarunt, et saeculo XII et XIII doctissimi viri scriptis privilegium Dei Genitricis edixerant; ibi decus Angliae, sanctus, inquam, *Anselmus*, principium illud posuerat, quod doctor subtilis in explicanda doctrina

---

[1] I *Tractatus de partu Virginis* (P. L. 120, 1375).

[2] Sermo 6 in ortu almae Virg. (P. L. 141, 326).

[3] Plura hac de re documenta indicantur in *Stimmen aus Maria Laach*, 1904, II pag. 117 « Neues von den Anfängen des Festes der Unbefleckten Empfängniss ».

[4] Epist. 174 n. 7 (P. L. 182, 335).

sua felicissime adhibuit: « Decuit, ut ea puritate Virgo niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi[1] ».

Quo modo videmus saeculo XIII in universitate Parisiensi et in studio fratrum minorum huius loci immunitatem Virginis a noxa originali impugnari; in studio *Oxoniensi* vero hanc Virginis praerogativam defenderunt et explicaverunt; donec **Scotus** saeculo XIV ineunte **doctrinam hanc Parisiis victricem effecit.**

De quibus duabus scholis pauca dicemus.

I. — *De doctrina studii Parisiensis.*

Fautores doctrinae de Immaculata Conceptione *duos modos* posuerant, ut hoc privilegium explicarent et defenderent: « Aut sanctificata fuit *caro ante animationem*, aut *anima ante infusionem* ». Secundum priorem modum corpus beatae Virginis ante infusionem animae fuit sanctificatum; unde anima in ipsa unione cum corpore iam sanctificato remansit pura et immaculata.

Primus inter fratres minores in studio Parisiensi floruit *Alexander Halensis*, qui in tertia parte Summae theologicae ponit quaestionem *de sanctificatione beatae Virginis*. Non agit de conceptione Virginis, nec de quaestione, num anima beatae Virginis fuerit creata in gratia, sed agit in tribus articulis de sanctificatione corporis ante animae infusionem (*ante, in, post* conceptionem), quam cum S. Bernardo iure negat, « quia caro ante animationem nullo modo potest sanctificari ». Ultimo loco resolvit: « Concedendum est, quod gloriosa Virgo ante suam nativitatem post infusionem animae in suo corpore fuit sanctificata in utero matris suae; et concedendum etiam, quod maiori dono gratiae fuit ditata, quam aliquis alius[2] ».

Magnus doctoris irrefragabilis discipulus, sanctus *Bonaventura*, in primo articulo quaestionis *De Conceptione Virgi-*

[1] *De conceptione virginali*, c. 18.

[2] Pluries (apud Worilong, Bernardinum de Bustis aliosque) invenitur, quod Alexander Halensis circa finem vitae suae scripserit tractatum de Immaculata Conceptione B. V. M.; cfr. Sbaralea, *Supplementum ad Scriptores trium Ordinum S. Francisci*, pag. 19. Est confusio inter Alexandrum Halensem et *Alexandrum Nequam* (cfr. infra pag. 6), cui ansam fortasse praebuit, quod aliqui scholastici citant solum nomen Alexandri absque adiecto.

nis pariter negat, carnem ipsius ante animationem esse sanctificatam; deinde ultra magistrum suum progrediens de altero modo agit, quem fautores Immaculatae Conceptionis suo tempore in medium proferebant. « Notandum est, ait, quod quidam dicere voluerunt, in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis *praevenisse* maculam peccati originalis. Decebat, animam gloriosae virginis sanctificari excellentissime super animas aliorum sanctorum, non solum quantum ad abundantiam sanctitatis, sed etiam quantum ad accelerationem temporis; ideo *in instanti suae creationis fuit sibi gratia infusa,* et in eodem instanti anima infusa est carni ». « Haec positio, respondet seraphicus, videtur posse fulciri multiplici congruentia, et **non repugnat veritati sacrae scripturae et fidei christianae.** Aliorum vero positio, quod sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem, communior est et rationabilior et securior. Prius est enim *esse* quam *bene esse;* prius est igitur animam uniri carni, quam gratiam Dei sibi infundi. Si igitur caro illa infecta fuit, ex sua infectione nata erat animam culpa originali inficere; necessarium est igitur ponere, quod ante fuerit originalis culpae infectio quam sanctificatio [1] ».

S. Bonaventura hic propius attingit statum quaestionis, ut ipsa nunc intelligitur, quam alii antiqui magistri, qui duplicem solum quaestionem instituerant, utrum beata Virgo fuerit sanctificata *ante* vel *post* animationem; seraphicus iam de **primo instanti** creationis Virginis inquirit. « Omnia deinde principia, quibus hoc mysterium innititur, mire exaltat; immo dicendum, quod Scoto quasi viam aperuit luculenta sua expositione argumentorum, quae sunt in favorem verae sententiae. Haec argumenta Scotus recepit et in aliquibus corroboravit, adhibita etiam necessaria *distinctione inter ordinem temporis vel naturae* [2] ». S. Bonaventura hanc eandem distinctionem iam in quaestionem induxerat, dicens: « Esse naturae praecedit esse gratiae vel tempore vel natura »; at in ipsam non amplius animum intendit.

Discipuli sancti Bonaventurae doctrinam suam repetierunt, et hucusque nondum invenimus inter nostros theologos

[1] In III sent. d. III a 1 q. 2.

[2] Cfr. S. Bonav. Opera omnia, t. III pag. 69, Scholion.

Parisienses saeculi XIII unum, qui doctrinam de Immaculata Conceptione acceptaverit et defenderit. Celeberrimus e. g. *Matthaeus ab Aquasparta* ait[1]: « Aut sanctificata fuit caro ante animationem aut anima ante infusionem. Primo modo sanctificata non fuit, quia sanctificatio non est nisi per aliquod donum gratuitum superadditum, quod non potest esse nisi in anima: nec secundo modo; anima enim creando infunditur et infundendo creatur; unde non prius est, quam corpori infunditur. Renasci autem naturali ordine praecedit nasci, et natura praecedit gratiam; et ideo naturali ordine prius est animam infundi et corpori uniri ».

Haec est maior difficultas, quam doctrinae de Immaculata Virginis Conceptione magistri studii Parisiensis opposuerunt, et hac in re ingenium doctoris subtilis gloriosiorem triumphum tulit.

Adeamus iam studium Oxoniense.

II. — *De doctrina studii Oxoniensis.*

Studium fratrum minorum in civitate *Oxford* originem debet inclyto fundatori gloriosae provinciae Angliae, beato *Agnello de Pisis,* quem S. Franciscus illuc miserat. « Multipli-

[1] Cod. Tudert. 44 fol. 174r. — Cfr. etiam doctrinam *Richardi a Mediavilla* (in III sent. d. 3), quem plures falso fautorem doctrinae de Immaculata Conceptione crediderunt, ipsum confundentes cum *Richardo de S. Victore* (cfr. infra pag. 7) ob citationes minus accuratas scholasticorum (cf. Petrus Aureoli, in III sent. d. III q. 1 a. 1). — De doctrina fr. *Alexandri de Alexandria* circa Conceptionem Dei Genitricis iudicium haud ferimus, cum opera ipsius nondum ad artis criticae trutinam sint revocata. In cod. 7 plut. XXIV dextr. bibliothecae Laurentianae (saec. XIV) extat commentarius in III sententiarum, qui ab alia manu dicto fr. Alexandro attribuitur (incip.: « Quaeritur, utrum incarnatio sit possibilis; videtur, quod non »); ad d. 3 agens de *Conceptione beatae Virginis* ait: « Dicitur fuisse purificata ab originalibus, non ab aliquo, quod aliquando infuit, sed ab aliquo, quod infuisset, si non fuisset praeventa;... quamvis autem iste modus fuerit possibilis, tamen non ita est ». — Sententia contraria habetur in codice S. Croce 27 D 4 bibliothecae nationalis Florentinae, qui pariter ab alia manu fr. Alexandro adscribitur (« Tertius Alexandri de Alexandria »); incipit commentarius: « Prima quaestio est, utrum incarnatio benedicta ex sacra scriptura possit stare ». Post 40 quaestiones agitur de conceptione Virginis; inc.: « Circa Virginis matris conceptionem ».

cato loco, ait Eccleston [1], ubi principale studium florebat in Anglia, et ubi universitas scholarium convenire consueverat, fecit frater Agnellus scholam satis honestam aedificari in loco fratrum et impetravit a sanctae memoriae *Roberto Grosseteste*, ut legeret ibi fratribus; sub quo inaestimabiliter infra breve tempus tam in concionibus quam praedicationi congruis subtilibus moralitatibus profecerunt». Notus est omnibus influxus, quem Robertus Grosseteste, magister Oxoniensis et dein episcopus Lincolniensis, in fratres minores Angliae, praesertim in studia illorum, exercuit; ipsi iure adscribitur gloria singularis, quam provincia Angliae saeculo XIII ubique acquisivit.

Robertus iste — teste Gulielmo Guarra — docuit Immaculatam Conceptionem B. Mariae Virginis [2]; unde concludere licet, ab ipso fratres Angliae hanc quoque doctrinam recepisse. Quo loco omittere tamen non volumus, etiam alios illius temporis scriptores in Anglia eandem doctrinam posuisse; celeber e. g. Augustinianus *Alexander Nequam* (Neckam) [3] († 1217) B. Virginem sine macula originali et actuali declarat; multas etiam ecclesias Angliae iam diximus ante alias occidentis regiones sanctam Mariae Conceptionem celebrasse.

Primus, quem inter fratres minores Oxonienses Immaculatam Conceptionem scriptis docuisse scimus, est *Gulielmus Guarra*, «Magister doctoris subtilis Scoti». In commentario in III librum sententiarum quaerit, «utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato», et respondet: «Est opinio, quod non contraxit originale. Quam volo tenere, quia, si debeam deficere, cum non sim certus de altera parte, magis volo deficere per superabundantiam, dando Mariae aliquam praerogativam, quam per defectum, diminuendo vel subtrahendo ab ea aliquam praerogativam, quam habuit; sicut in quaestione,

---

[1] *De adventu minorum in Angliam*, coll. XI, cfr. Analecta Franciscana, t. I p. 238.

[2] Pauca opera huius celeberrimi viri hucusque typis data sunt; cf. de ipsis Wharton, *Anglia Sacra*, t. II pag. 346.

[3] Ipsius opera habentur in bibliothecis Oxoniensibus; *Expositio super Cantica Canticorum*, in qua edicit Immaculatam Conceptionem, exstat in cod. XXXIX et XL collegii *Balliolensis;* cfr. Coxe, *Catalogus Codicum Mss, qui in collegiis aulisque Oxoniensibus hodie adservantur*, P. 1 Coll. Balliol., pag. 11.

qua quaeritur de potentia Filii sui. Unde primo volo ostendere *possibilitatem*, secundo *congruentiam*, tertio *actualitatem*[1]». De *possibilitate* agens statuit *mundationem* carnis; «caro fuit mundata, non dico sanctificata, quia sanctificari non potest, nisi quod est susceptivum peccati et gratiae». *Congruentiam* verbis D. Anselmi explicat; et «*quod sic factum sit*», iuxta ipsum testantur plures auctoritates. Illam celebrem difficultatem, quam moverat S. Bernardus et alii repetiverunt: «vel fuit sanctificata ante conceptionem vel in vel post», solvit dicens: «Procedit ex falsa imaginatione; ac si idem esset sanctificatio et mundatio»; ad aliam vero scholasticorum rationem: «Si fuisset sine peccato, non indiguisset redimi a Christo», respondet cum S. Anselmo: «Tota munditia matris fuit a Filio». Iam alii scriptores[2] crebras relationes notarunt, quae inter S. Anselmum et doctrinam fratrum minorum Oxoniensium habentur; hic idem recurrit: *Principia a sancto Anselmo diversis locis proposita a fratribus minoribus Oxoniae componuntur et evolvuntur.*

Plenius quaestionem de Conceptione Virginis pertractat *Ioannes Duns Scotus*, innixus principiis S. Augustini et S. Anselmi. Primum solvit «rationes assumtas ex duobus mediis, quorum unum est ex excellentia Filii sui, secundum ex his, quae apparent in beata Virgine». Rationem primam perbelle retorquens, ex «excellentia Filii» commendat praeservationem matris; «Christus est perfectissimus mediator; sed respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum quam respectu Mariae; sed hoc non esset, nisi meruisset eam praeservare a peccato originali». Ad «poenalitatem vero, quae apparet in beata Virgine», optime dicit: «Potest mediator reconciliare aliquem, ut auferantur ab eo poenae sibi inutiles, et relinquatur in poenis sibi utilibus».

Pergit dicens, «quod Deus *potuit* facere, quod ipsa nunquam fuisset in peccato originali»; ad quod explicandum ad-

---

[1] Quae argumentatio iam habetur apud S. Augustinum; cfr. infra pag. 91 n. 13. [2] Cfr. praesertim Seeberg, *Theologie des Iohannes Duns Scotus*, Leipzig 1900; pag. 33. «Die englische Theologie ist von Anselm angebahnt, sie empfing für die Zeit der spätern Scholastik ihre Prägung durch Robert von Lincoln. In diesem historischen Zusammenhang hat sich die Entwicklung des Duns Scotus vollzogen».

ducit modum a Guarra indicatum: « potuit caro mundari ante infusionem animae »; et alium commendat verbis: « Infectio carnis in primo instanti non fuit necessaria causa infectionis animae, sicut nec post baptismum, quando manet secundum multos, et infectio animae non manet ».

Culmen vero ascendit sua discussio et re vera prodit subtilitatem magistri, ubi proponitur obiectio a doctore seraphico aliisque mota: « Et si arguatur contra hoc, quod ipsa naturaliter prius fuit filia Adae, quam habuit gratiam, quia prius fuit persona, quam habuit gratiam; in illo igitur priori tenebatur ad iustitiam originalem, quia naturalis filia Adae, et non habuit eam: ergo in illo priori contraxit originale peccatum: respondeo et dico, quod, quando opposita comparantur ad idem secundum ordinem naturae, non simul ambo insunt, sed tantum alterum inest; reliquum autem, quod dicitur prius natura, non inest, quia in eodem instanti oppositum inest [1]; sed dicitur prius natura, quia tunc inesset, quantum est ex parte subiecti, nisi aliquid extrinsecum impediret »; et paulo post: « Quantum est ex subiecto, quod est prius naturaliter utroque opposito, prius naturaliter privatio inesset; tamen non oportet, animam esse aliquando sub neutro extremo, neque prius esse sub privatione quam sub opposito ».

Subtilitatis laudem adauget modestia et auctoritatis reverentia; « quod factum sit, ait, Deus novit; si auctoritati scripturae vel auctoritati ecclesiae non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariae ».

Anno 1304 frater Ioannes, procurante ministro generali *Gundisalvo,* praesentatus est cancellario universitatis Parisiensis pro obtinenda licentia sacram scientiam docendi [2], ibique mox docere coepit. Uti testantur sua *Reportata Parisiensia,* in hac alma et totius orbis celeberrima schola doctrinam de Immaculata Conceptione diserte defendit ipsique multos asseclas procreavit. Exinde vero doctrina citissime in omnes nationes diffusa paulatim totum orbem catholicum devicit.

Inter primarios defensores doctrinae nostrae longe excellit *Petrus Aurioli,* « doctor facundus », qui diserte et absolute

[1] Cfr. infra pag. 19; ubi per errorem habetur « oppositum *non* inest ».

[2] Cfr. Denifle, *Chartularium Universitatis Parisiensis,* t. II p. I pag. 117.

statuit immunitatem beatae Virginis et primus inter Franciscanos libros *speciales* hac de re scripsisse videtur. Eius prae aliis faciunt mentionem theologi sequentes et ad ipsius auctoritatem saepius recurrunt. Unde et ipsius tractatus heic edendos censuimus.

CAPUT II.

De ratione nostrae editionis.

I. — *Ad quaestionem fratris Gulielmi Guarrae.*

Primo loco posuimus quaestionem fratris Gulielmi Guarrae, quem Pisanus pluries vocat « magistrum doctoris subtilis Scoti [1] ». In scribendo eius nomine codices haud concordant; invenimus *Guarra, Guarro, de Warre, Varro,* et alia; imo Pisanus eum vocat *Ioannem,* qui et alios in eundem deduxit errorem; dum codices clare eum vocant Gulielmum, et Scotus ipse in *Quaestionibus super libros Metaphysicorum Aristotelis* (l. V q. 10) ait: « Recitat frater Gulielmus de Varro ».

Si addidimus, quod Pisanus eum ex loco *Ware* (prope Hertford) in Anglia oriundum dicit, iam omnia diximus, quae apud antiquos chronistas et scriptores de ipso invenire potuimus. In quaestione sua de Conceptione Virginis leguntur verba « Lincolniensis, ut *dicitur,* hoc posuit »; unde deducere licet, ipsum non fuisse discipulum celeberrimi Roberti Grosseteste, qui anno 1235 episcopus Lincolniensis evasit et anno 1253 diem supremum obiit. Nominatus est « doctor fundatus », eumque apud plures auctores citatum invenimus.

Scripsit *commentarium in libros 4 Sententiarum,* quem — nondum typis impressum — in pluribus invenimus codicibus saeculi XIV. Exstat

1. *Burdigalis,* biblioth. civitatis, cod. 163.
2. *Caesenae,* biblioth. Malatestiana, cod. 1 plut. XVIII [2].
3. *Florentiae,* biblioth. Laurentiana, cod. 1. plut. XXXIII dextr. S. Croce [3].

---

[1] Cfr. Sbaralea, l. c. pag. 331.

[2] Cfr. Mucciolo, *Catalogus codicum manuscriptorum Malatestianae Caesenatis bibliothecae,* I (Caesenae 1780) pag. 69.

[3] Cfr. Bandini, *Catalogus codicum latinorum bibliothecae Laurentianae,* t. IV (Florentiae 1777), pag. 710.

4. *Florentiae,* biblioth. national., cod. A. 4. 42 Conv. soppr.
5. » » » cod. C. 4. 991 » »
6. *Patavii,* biblioth. S. Antonii, cod. 115.
7. » » » » cod. 116.

Pro nostra editione adhibuimus tres codices Florentinos, ex quibus cod. sub 5 nominatus pluries ab aliis differt (infra sign. B).

II. — *Ad quaestionem Ioannis Duns Scoti.*

Praeter nostram intentionem est, agere heic de vita et scriptis venerabilis doctoris subtilis; magis ad rem nostram spectat pauca dicere de famosissima illa *disputatione,* qua Scotum Parisiis Immaculatam Conceptionem defendisse dicunt. Auctores saeculi XIV, quos hucusque inspicere licuit, nihil de illa retulerunt. Adducitur apud *Antonium de Cucharo* in suo *Elucidario Virginis*[1] quidam « *Landulphus in tractatu de Conceptione Virginis* », « qui dicit, quod Dominus Iesus Christus Scotum doctorem eximium ordinis minorum Parisiis destinavit, ubi apostolico iussu fuit facta publica disputatio de huiusmodi conceptione Virginis; qui quidem Scotus, confutatis rationibus et argumentis adversariorum, innocentiam defensavit, quod adversarii omnes obmutescentes defecere in disputando. Quapropter opinio minorum a Parisiensi studio illico approbatur. Scotus vero, doctor subtilis propter hoc appellatus, laetus ad propria se recepit ». Qui Landulphus ab aliquibus accipitur pro Landulpho *Carraciolo* († 1351), attamen falso, ut idem *Elucidarius* evincit. Sequitur enim ibidem fere immediate: « Hoc idem habetur ex decreto et concilio Basileensi; quod quidem concilium, etsi quoad aliqua fuerit revocatum, tamen quoad hoc firmum remansit et stabile; ut testatur etiam Panormit. **Haec Landulphus** ». Unde clare elucet, Landulphum dictum post concilium Basileense scripsisse eiusque testimonium nullo modo quaestionem decidere.

Quidquid est, meritum Scoti haud ab illa disputatione dependet. Ab ipsius tempore doctrina de Immaculata Concep-

---

[1] Alva, *Monumenta Antiqua Seraphica pro Immaculata Conceptione Virginis Mariae,* pag. 831.

tione beatae Mariae Virginis in universitate Parisiensi magis magisque praevaluit; et gloria Scoti minime minuitur, si istam victoriam non disputationi formali et solemni attribuimus [1].

Ut pauca dicamus de ratione, qua quaestionem infra positam edidimus: correximus textum illius, qui in editionibus Lugdunensi et Parisiensi satis est corruptus, ex pluribus codicibus manuscriptis saeculi XIV. Adhibuimus cod. plut. XXXI dextr. 6 bibliothecae Laurentianae (sign. infra F) [2], cod. plut. XVII 3 bibliothecae Malatestianae (sign. infra C) [3], ac codd. 114 et 175 bibliothecae Patavinae ad S. Antonium.

III. — *Ad duo scripta Petri Aureoli.*

Petrus Aurioli (Aureolus), falso aliquando *Petrus de Verberia* (qui fuit ordinis Vallis-Scolarium [4]) nominatus, anno 1312 fuit « lector in civitate Bononiae [5] »; anno 1316 « electus est ad lecturam sententiarum Parisius [6] ». 1318 Ioannes XXII cancellario Parisiensi iniunxit, ut Petro Aureolo licentiam in theologia tribueret, scribens: « Dilectus filius Petrus Aurioli ordinis minorum sic in studio theologicae facultatis diebus insudavit ac noctibus, sic per continuationem studii et exercitium lectionum profecit laudabiliter in eadem, quod dignum se reddit ad obtinendum docendi licentiam in huiusmodi facultate [7] ». Anno 1319 « factus est, electus et confirmatus minister Aquitaniae, sed interim factus archiepiscopus Aquensis officio non est usus [8] »; die 27 febr. 1321 ad hanc dignitatem vocatus verisimiliter iam 10 ian. 1322 defunctus est [9] ».

---

[1] Cfr. Denifle, l. c. II pag. 118.

[2] Cfr. Bandini, l. c. pag. 706.

[3] Cfr. Mucciolo, l. c. pag. 67.

[4] Cfr. Denifle, l. c. pag. 429. Ex hac confusione apud plures exortum erat dubium, num Aurioli fuerit ordinis minorum.

[5] Cfr. cod. Sessor. 1405 biblioth. national. Romanae fol. 44r; cfr. infra p. XIX.

[6] *Chronica XXIV ministrorum generalium;* cfr. Analecta Franciscana, t. III pag. 470.

[7] Cfr. Denifle, l. c. pag. 225.

[8] *Chronica XXIV min. gen.,* l. c. pag. 473.

[9] Cfr. Denifle, l. c. pag. 718.

Petrus Aureolus, quem titulo « **doctoris facundi** » honorarunt, praeter multa alia scripta [1] duos libros edidit, qui explicite et specialiter agunt de Immaculata Dei Genitricis conceptione [2] et omnia argumenta colligunt, quae in utramque partem theologi posuerunt.

Prior, qui vocatur *Tractatus de conceptione beatae Mariae Virginis*, secundum codicem, quem adhibuit Alva, compositus est anno 1314 in urbe Tolosana, patria auctoris [3]; alter vero titulum habet *Repercussorium* et priori « subnexus est, ne vanis latratibus quorumcumque mordacium obnubilari contingat ». Quetif-Echard opus secundum contra *Guillelmi de Gannati* tractatum *de vera innocentia matris Dei* conscriptum esse credit, dicens [4]: « Mox in eum insurrexit ordinis minorum quidam doctor eidem reponens per tractatum, qui incipit *Repercussorium editum contra adversarium innocentiae matris Dei.* Quod autem hoc scriptum sit adversus librum Gannatensis, constat; nam concl. 8 sic habet: ' Praeterea in eodem libello adducuntur XL auctoritates, quas ipse compositor invenit in dictis sanctorum ' ». Illa quidem verba re vera inveniuntur in Repercussorio (cfr. infra pag. 143); at ex contextu clare intelligimus, Aureolum haec dicere de suo *Tractatu de conceptione Virginis*. Unde etiam solvitur difficultas, qua moti Quetif-Echard et alii [5] Repercussorium alteri auctori attribuere voluerunt. Omnes codices, quos inspeximus [6], illud Petro Aureolo attribuunt, et ipse liber clare eundem auctorem ac *Tractatus* prodit.

[1] Cfr. Sbaralea l. c. pag. 584 et Seeböck, *Compendium sensus litteralis totius divinae scripturae a fr. Petro Aureoli,* ad Claras Aquas 1896, pag. XXIII sq.

[2] Eandem doctrinam bene defendit in commentario in III sententiarum, d. 3 q. 1; cfr. Alva, *Monumenta Antiqua Seraphica,* Lovanii 1665, pag 68. Ibidem pag. 76 habetur sub nomine Petri Aureoli « *Declaratio sententiae beati Bernardi de hac re* », quod opusculum in codd. manuscriptis non invenimus.

[3] Cfr. Alva, l. c. pag. 79. Codex Sessor. scriptus est « a Ioanne Eltado de Frisia, anno Domini 1315 »; cfr. infra pag. XIX.

[4] Quetif et Echard, *Scriptores ordinis Praedicatorum,* t. I (Lutet. 1721) pag. 694.

[5] Cfr. Sbaralea, l. c. pag. 586.

[6] In 3 codicibus opus invenimus; cfr. pag XIX. Alva, *Monumenta,* pag. 44 addit: « Compositum anno Domini MCCCXIV ».

Tractatus et Repercussorium pluries sunt edita; primum Moguntiae apud Petrum Schoeffer (sine anno) sub titulo *Tractatus de Conceptione Virginis Mariae* [1]; deinde a Petro de Alva et Astorga in *Bibliotheca Virginea*, Matriti anno 1648, et in *Monumenta Antiqua Seraphica*, Lovanii anno 1665 [2].

Tractatum invenimus

1. Assisii, biblioth. municipal., cod. 193, saec. XIV;
2. Dusseldorpii, archiv. reg., cod. IV. 97, saec. XV;
3. Erfordii, biblioth. civitat., cod. 131, saec. XIV;
4. Monachii, biblioth. reg., cod. lat. 3590, saec. XV;
5. Romae, biblioth. national., cod. 1405 (100) Fondo Sessoriano [3].

Repercussorium exstat in codd. sub 2, 3 et 5 nominatis.

Pro editione nostra adhibuimus omnes dictos codices, si excipis codicem Monacensem. Textum ab Alva editum permultis locis ad meliorem sensum reduximus; remanent nonnullae difficultates, praesertim in Repercussorio, quas e medio tollere haud potuimus.

Restat iam, ut munus nostrum, qualecunque sit, bonae matri Immaculatae offeramus, supplicantes ut illud benigne respiciat et nos cum Prole pia benedicat.

Ad Claras Aquas, die 29 Nov. 1904.

PP. EDITORES.

---

[1] Cfr. Hain, *Repertorium bibliographicum*, t. I pag. 268, n. 2142.

[2] Cfr. Sbaralea, l. c. pag. 585, qui illa et Lipsiae 1489 prodiisse asserit.

[3] Inter hos codices eminet codex Sessorianus, cuius brevem descriptionem hoc loco inserimus:

Fol. 1 — 23v *Tractatus de conceptione;* in fine: «Explicit tractatus de conceptione beatae Mariae virginis, matris Dei. Scriptus a Ioanne Eltado de Frisia in Monte Albano, anno Domini MCCCXV; in vigilia sancti Bartholomaei apostoli consummatus».

fol. 24r — 24v «*Epistola venerabilis Anselmi ad episcopos Angliae*»; deest initium, explicit «mereamur adscribi praestante Domino Iesu Christo».

fol. 25r — 44r «*Repercussorium* editum contra adversarium innocentiae Matris Dei compositum per fratrem Petrum Aureoli de ordine fratrum minorum».

fol. 44v — 128v «*Tractatus de principiis* editus a fratre Petro Aureoli de ordine fratrum minorum lectore in civitate Bononiae anno Domini MCCCXII»; incipit «Principiorum notitia quantum sit efficax»; desinit «Proprie et virtutes alterius speciei».

QUAESTIO GULIELMI GUARRAE

Quaeritur, utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato.

Quod sic:

1. Damascenus libro III c. 2[1]: « Spiritus sanctus supervenit purgans ipsam » : ergo aliquid habuit, quod purgandum fuit; hoc non est nisi peccatum; non actuale: ergo originale.

2. Item, Augustinus libro I *De baptismo parvulorum*[2] dicit, quod « solus Christus sine peccato natus fuit ».

3. Item, idem dicit libro II *De baptismo parvulorum*[3].

4. Item, peccatum fuit obstaculum, propter quod excludebantur homines ab ingressu caelestis patriae, quae quidem ianua aperta fuit per passionem: ergo, si beata Virgo fuisset sine omni peccato et mortua fuisset ante passionem, intrasset caelum, et ita non omnibus fuisset ianua aperta per passionem Christi, nec beata Virgo indiguisset redemptione Filii sui; quod est inconveniens.

5. Item, *De consecratione* d. III c. 1[4] *in annuntiatione solemnitatum* dicitur in apparatu: « De festo Conceptionis nihil hic dicitur, quia celebrandum non est; in peccatis enim concepta fuit ».

CONTRA:

1 Ad Rom. 11[5]: *Si radix sancta, et rami;* sed parentes beatae Virginis fuerunt sancti: ergo et ipsa.

2. Item, aliter festum Conceptionis non posset convenienter celebrari, quia quae connexio peccati ad sanctitatem? Quare etc.

---

[1] Operis *De fide orthodoxa;* cfr. Migne, P. G. 94, 986.
[2] C. 29 n. 57. [3] C. 20 n. 34 et c. 24 n. 38.
[4] *Decreti Gratiani;* cfr. Edit. Romana tom. II col. 2573.
[5] Vers. 16.

RESPONDEO:

Una opinio dicit, quod concepta fuit in originali peccato, et quod in eodem instanti fuit purgata et sanctificata, in alio tamen et alio signo eiusdem instantis.

Unde ponunt, quod unum possit esse in uno instanti ratione unius signi et aliud in eodem ratione alterius. Quod autem sit in eodem instanti accipere plura signa, hoc probant per exemplum de faba obviante lapidi molari. Si faba proiiceretur sursum contra lapidem molarem descendentem, cum lapis molaris non possit quiescere super fabam, necesse est, quod faba in eodem instanti ascendat et descendat, secundum tamen aliud et aliud signum in eodem instanti. — Et similiter aliud exemplum: quando in materiam aeris debet induci forma ignis, in eodem instanti est corruptio formae aeris et inductio formae ignis, pro alio et alio signo eiusdem instantis. Et sic ponunt, contradictoria posse esse in diversis signis eiusdem instantis.

Contra hoc arguitur sic: Istud non intelligo propter duplicem causam: una est realis et alia est contra hominem. Causa realis est, quia tunc contradictoria essent simul vera in eadem mensura indivisibili realiter; multiplicatio enim instantium est multiplicatio secundum rationem; diversitas autem secundum rationem non potest facere contradictoria esse in eodem instanti realiter: ergo beata Virgo non potuit simul in eodem instanti esse infecta peccato reatus originalis et sanctificata.

Alia causa est ad hominem. Ipsi enim, qui hoc dicunt, negant hoc in consimili. Dicunt enim, quod angelus non potuerit peccare in primo instanti suae creationis, quia in primo instanti habuit primum actum bonum; si autem in eodem instanti peccasset, habuisset actum malum, et ita habuisset actum bonum et actum malum in eodem instanti; quod est impossibile. Et tamen secundum eos hoc fuisset possibile secundum diversa signa eiusdem instantis.

Quidquid sit de primo exemplo, alias erit sermo de hoc. Secundum exemplum non est ad propositum, quia generatio ignis et corruptio aeris non sunt opposita, et ideo possunt

stare simul in eodem instanti; sed generatio ignis et corruptio ignis sunt opposita.

Alia est opinio, quod in originali sit concepta et non in eodem instanti mundata.

1. Et haec est intentio Bernardi in quodam libello *De festo conceptionis B. Mariae Virginis* [1]; et ibi dicit, quod non vult Beata talem honorem, per quem fit derogatio Filio suo.

2. Item, Anselmus libro II *Cur Deus homo* c. 16 [2]: « Virgo ipsa, unde assumtus est Christus, in iniquitatibus concepta est, et in peccatis concepit eam mater eius, et cum originali peccato nata est ».

3. Item, Anselmus, *De conceptu virginali* c. 14 [3]: « Hoc autem nullatenus refragatur rationi nostrae, quae semen de Virgine sumtum asserit esse mundum, quamvis sit de massa peccatrice ».

4. Item, Augustinus, *De nuptiis et concupiscentia* [4]: « Nullus concipitur ex mare et femina, nisi contrahat originale ».

5. Item, effectus alicuius existens in aliquo, arguit causam illius effectus; peccatum autem est causa mortis; beata autem Virgo mortua fuit: ergo habuit peccatum; non actuale: ergo originale.

6. Item, aut fuit sanctificata ante conceptionem aut in conceptione aut post conceptionem. Non ante, quia ante non fuit; nec in, quia tunc fuit libido parentum actualis, et simul fuissent contradictoria: ergo sanctificata fuit post conceptionem, et ita contraxit originale.

7. Item, Augustinus, *De fide ad Petrum* [5]: « Firmissime tene, quod omnis, qui inter hominem et mulierem nascitur, contrahit originale ».

8. Item, si non contraxisset originale, non indiguisset morte Christi, quod est contra Augustinum, *De perfectione iustitiae* [6]:

---

[1] Scilicet *Epist.* 174 *(Epistola ad canonicos Lugdunenses)*. Vide e. gr. n. 2: « Honor reginae iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore »; et n. 9 addit: « Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari vel falsa induci videtur sanctitas ».

[2] Migne, P. L. 158, 416. [3] Migne, P. L. 158, 448.

[4] Cfr. c. 35 n. 40 et lib. II c. 2 n. 3 ac c. 5 n. 15.

[5] Potius Fulgentius, loc. cit. c. 26 n. 69. [6] C. 19 n. 42.

« *Unus est Deus et unus mediator Dei et hominum, Christus Iesus* [1], sine quo nemo a condemnatione liberatur, sive quam traxit ex illo, *in quo omnes peccaverunt* [2], sive quam postea suis iniquitatibus addidit ». Et post [3]: « Quisquis ergo fuisse vel esse aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno *mediatore Dei et hominum,* quibus necessaria non fuerit peccatorum remissio, contrarius est divinae scripturae, ut apostolus dicit [4], *per unum hominem peccatum intrasse in mundum, et per peccatum mortem, et ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt;* et necesse est, ut impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine mediatore Christo liberante atque salvante sint liberi salvique a peccato, cum Iesus dixerit [5]: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Non veni vocare iustos, sed peccatores* [6] ». Et loquitur ibi de peccato originali, sicut patet expresse.

9. Item, Hieronymus [7] super illud Psalmi: *De manu canis unicam meam,* dicit, quod unicam meam nominet Christus animam suam, quae sola fuit sine peccato.

10. Item, Augustinus libro V *Contra Iulianum* [8] dicit: « Concupiscentiam, ex qua trahebatur corpus Virginis, quam non potuit contrahere Filius Virginis »; sed constat, quod concupiscentia vel est peccatum originale vel consequitur ipsum: ergo.

Alia est opinio, quod non contraxit originale. Quam volo tenere, quia, si debeam deficere, cum non sim certus de altera parte, magis volo deficere per superabundantiam, dando Mariae aliquam praerogativam, quam per defectum, diminuendo vel subtrahendo ab ea aliquam praerogativam, quam habuit; sicut in quaestione, qua quaeritur de potentia Filii sui. Unde

---

[1] I Tim. 2, 5. [2] Rom. 5, 12. [3] C. 21 n. 44.
[4] Rom. 5, 12. [5] Matth. 9, 12. [6] Matth. 9, 13.
[7] *Breviar. in Ps.* (inter opera Hieron.), Ps. 21, 20: « *Unica,* id est anima Christi; unica dicitur, quia non habet peccatum illa anima, et aliae animae ab ipsa mundantur ».

[8] C. 15 n. 52: « Et hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali, quia Mariae corpus, quamvis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit ».

primo volo ostendere *possibilitatem*, secundo *congruentiam*, tertio *actualitatem*, quarto *potentiae multiplicitatem*, quinto, quod *festum conceptionis est celebrandum*, et sexto, quod *festum esset celebrandum, etiamsi esset concepta in originali.*

1. **Possibilitatem** ostendo sic: primo narrando, secundo exempla adducendo.

Primo narrando sic: Illa massa carnis, ex qua corpus Virginis fuit formatum, simul fuit seminata et mundata. Ex parte autem seminantis fuit in ea qualitas morbida; sed eatenus, qua fuit inde formandum corpus Virginis, fuit mundata, non dico sanctificata, quia sanctificari non potest, nisi quod est susceptivum peccati et gratiae, cuiusmodi est sola anima. In massa, inquam, illa fuit ratione parentum seminantium [1] qualitas morbida, ratione cuius qualitatis [2] ex unione animae ad carnem talem in aliis hominibus contrahitur originale. Cum igitur infectio ista sive qualitas morbida non sit substantia carnis, sed reatus differens ab ea, possibile fuit Deo praeservare illam massam ab infectione vel qualitate morbida, in quantum ex ea debuit formari corpus Virginis, quamvis infecta fuerit illa massa a parte seminantium.

Ad hoc potest adduci illud exemplum Augustini in *Epistola ad Elvidium* [3], ubi dicit, quod, si anima Christi fuisset ex traduce, non fuisset necesse habuisse originale, quia in eodem instanti fuisset sanctificata, quo fuisset traducta: ergo similiter, quamvis caro beatae Virginis fuerit traducta et sic infecta, potuit tamen in eodem instanti mundari.

Aliud exemplum est, quod dicit Anselmus, c. 7 sive 8 *De veritate* [4], ubi dicit: « Cum peccans ab eo, ad quem non pertinet, percutitur, quoniam et ipse percuti debet, et ille non de-

---

[1] Alii *seminata.*

[2] Alii *ratione cuius consimilis qualitatis.*

[3] Potius *Epist. ad Evodium*, epist. 164 (alias 99) c. 7 n. 19: « Si enim omnium hominum animae ex illa una sunt, quae insufflata est primo homini, *per quem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransivit* (Rom. 5, 12), aut non est inde anima Christi, quoniam nullum habuit omnino peccatum..., aut si et ipsa inde est, eam suscipiendo mundavit, ut sine ullo prorsus peccato vel perpetrato vel traducto ad nos veniens de Virgine nasceretur ». — Cfr. *X Gen. ad litt.*, c. 18 n. 32 et *Tract. 4 in Ioan. Evang.*, n 10.

[4] Migne, P. L. 158, 477.

bet percutere, debet et non debet esse percussio, et ideo recta et non recta negari non potest». Ex hoc habetur, quod eadem res propter diversam relationem dici potest recta et non recta. Igitur similiter in proposito massa ista a parte parentum beatae Virginis possibilis fuit habere infectionem sive non rectitudinem; et a parte sui, in quantum ex ea debuit corpus beatae Virginis formari, possibile fuit, quod haberet munditiam et rectitudinem. Et tamen istud dando beatae Virgini non est contra praerogativam conceptionis Filii, quia Filius suus conceptus est mundus et de munda, beata autem Virgo concepta est munda, sed de immundis, ceteri autem homines concepti sunt immundi et de immundis. Sic patet possibilitas.

2. **Congruentia** autem patet, quia, postquam Filius eius est ipsa munditia, congruum fuit, ut faceret Matrem suam ita mundam, sicut potuit, et sic non solum mundaret, sed ab omni immunditia praeservaret; et hoc dicit Anselmus, *De conceptu virginali* c. 18[1]: «Decebat, ut istius hominis conceptio de matre purissima fieret; nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter unus esset idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius facere sibi matrem substantialiter eligebat, et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat». — Item, Anselmus, c. 13 et 15 *De conceptu*[2] ostendit, quod Deus potuit fecisse unum hominem sine omni peccato; si ergo Virgo Maria traxisset originale, talis fuisset mundior Virgine; quod est inconveniens, quia decet filium matrem summe honorare; et quod potuit, congruum fuit, quod fecerit; et ex hoc sequitur, quod ita fecerit, cum filius debeat matrem honorare.

3. **Quod sic factum sit,** sunt auctoritates. Lincolniensis, ut dicitur, hoc posuit. Et Alexander Nequam[3] in ultimo vitae suae exposuit illud Canticorum: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te,* neque actualis neque originalis de beata Virgine.

---

[1] Migne, P. L. 158, 451.
[2] Migne, loc. cit. col. 447 sq.
[3] Cfr. introductionem huius libri.

Item, Anselmus hoc videtur dicere in quodam libello [1], quem condidit de ista materia.

Item, Richardus de S. Victore in sermone *De conceptione* [2] *beatae Virginis.*

Item, Augustinus in libro *De natura et gratia* [3] circa medium dicit: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo haberi quaestionem; unum enim [4] scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit quem constat nullum habere peccatum. Hac igitur Virgine excepta etc. ». Haec Augustinus.

4. Quarto ostenditur **multiplicitas potentiae** ad gratiam. Est enim duplex potentia ad gratiam, scilicet naturalis et obedientialis. Potentia quasi naturalis ad gratiam est illa, quae impletur secundum correspondentiam ad actum elicitum a potentia; et sic angeli receperunt gratiam per comparationem ad actus elicitos, quia secundum conatum suum et meritum. Potentia autem obedientialis est triplex: una, quae potest repleri, natura stante in proprio supposito absolute; alia est potentia ad gratiam, quae potest repleri, natura stante in proprio supposito non absolute, sed in relatione, ut suppositum illud sit Mater Dei; tertia potentia obedientialis est ad gratiam creatam, quae non potest repleri natura stante in proprio supposito, sed solum in supposito divino. Credo, quod in nulla natura sit impleta potentia obedientialis secunda ad gratiam, nisi in sola beata Virgine; nec esset possibile impleri, nisi creatura illa fieret Mater Dei; nec credo, quod aliqua pura creatura repleta sit tanta gratia, quantam posset habere de potentia obedientiali primo modo dicta, nisi beata Virgo. Unde beata Virgo impleta est gratia secundum utramque potentiam obedientialem; et ita excellit omnem puram creaturam in gratia secundum duplicem gradum gratiae; et ideo gratia et Deus est in ipsa per quendam specialem illapsum.

---

[1] *De conceptu virginali,* c. 18-20.

[2] Potius *Explicat. in Cant. cant.,* c. 26: « *Tota pulchra fuit,* quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum ».

[3] C. 36 n. 42.

[4] Ed. Migne *unde enim,* alii *inde.*

Tertiam vero gratiam non potest pura creatura accipere manens in proprio supposito; et hanc habuit Christus. Nec fuisset possibile, quod tanta gratia remansisset in anima Christi, si per impossibile fuisset anima Christi separata a Verbo. Et sic gratia animae Christi excedit gratiam animae beatae Virginis per unum gradum; qui tamen gradus facit plus distare gratiam animae Christi a gratia beatae Virginis in excellentia quam duo gradus, in quibus excellit beata Virgo omnem puram creaturam, faciunt gratiam beatae Virginis distare in esse a gratia aliorum hominum: — Exemplum, quod non posset manere tanta gratia in anima Christi, si dimitteretur a verbo: si caliditas, quae est qualitas symbolica, maneret eadem numero in igne et aere, et ex igne generatur aer, caliditas ista in aere non esset ita intensa in aere generato, sicut fuit in igne [1]. Sic est in proposito de gratia animae Christi, si esset divisa a Verbo, quod non maneret tanta nec ita intensa.

Sciendum est etiam, quod beata Virgo fuit repleta tanta gratia in prima sanctificatione, quantam potuit pura creatura habere, stans in proprio supposito absolute. In secunda fuit confirmata, quod nec venialiter nec mortaliter postea potuit peccare, in qua recepit tantam gratiam, quantam non potest pura creatura recipere, nisi fieret Mater Dei.

5. Et ex hoc sequitur quintum, quod, ex quo totum mundum est quod est a parte Virginis in conceptione, **festum conceptionis est celebrandum;** et ideo dicit Anselmus in *Epistola ad episcopos Angliae* [2]: «Non credo, esse verum amatorem beatae Virginis, qui respuit celebrare festum conceptionis».

6. Et supposito, quod contraxisset originale, **adhuc posset celebrari,** in quantum illa massa debuit esse originale principium corporis Christi, non in quantum vitiata. Sic in ortu filiorum regis fit solemne festum; sic cathedra S. Petri celebratur, in quantum ibi incipiebat futura ecclesiae dignitas. Nec

---

[1] Cod B: «Exemplum, quod non posset manere tanta gratia in anima Christi separata a Verbo, sicut modo est in ea, adducitur de qualitate suppositi, quae manet eadem in generato ac corrupto; quia, si ex igne generatur aer, caliditas in aere non est ita intensa, sicut fuit in igne, licet caliditas, quae est qualitas symbolica, in igne et in aere maneat». [2] Potius in *Serm. de concept. B. M. V.* (inter opera Anselmi); cf. Migne, P. L. 159, 322.

oportet, quod sanctitas formaliter insit illi, de quo festum celebratur, ut patet in festo dedicationis ecclesiae, vel in festo S. Crucis, sed sufficit, quod sit sanctitas in relatione ad aliud.

1. Ad primum Bernardi dicitur, quod non dixit hoc asserendo; et hoc patet, in fine epistolae [1] enim reliquit hoc iudicio summi pontificis. — Aliter dicitur, quod, si ipse hoc omnino asserat, cum multi alii sancti et doctores dicant contrarium, sicut supra [2] allegavi, magis pie credendum est eis quam sibi. Vel dic, quod id, quod dixit in vita, retractavit per visiones; apparuit enim beatus Bernardus uni monacho de Claravalle desideranti ipsum videre totus lucidus, excepto pectore, in quo fuit quaedam macula; et cum quaesivisset, unde haberet illam maculam, cum totum residuum esset lucidum, respondit, quod talem maculam habuit, quia dixit de beata Virgine, quod originale contraxit; et ita quod non retractavit vivendo, retractavit mortuus per somnia [3].

2. et 3. Ad aliud de Anselmo dico, quod sunt verba discipuli, et ideo non dicuntur determinative, sed inquisitive. Si dicas, quod Anselmus hoc videtur approbare, ex quo non reprehendit eum, dico, quod, quamvis ibi non reprehendatur, tamen postea in quodam libello [4] dixit veritatem illam, scilicet, quod beata Virgo non contraxit originale.

4. Ad aliud de Augustino dico, quod non habere immunditiam, nec a se nec ex parte parentum, praerogativa solius Filii sui est; habere tamen munditiam in se et immunditiam a parentibus potest esse praerogativa beatae Virginis.

5. Ad aliud dico, quod, si unus homo haberet pura naturalia non infecta et non haberet habitum gratuitum, qui prohiberet eum mori, moreretur naturaliter; et ideo dicit Augustinus, II *De baptismo parvulorum* [5], quod Christus defecisset

---

[1] Epist. 174 n. 9.

[2] Pag. 6.

[3] Cfr. Epist. 172 Petri Cellensis (Migne, P. L. 202, 623).

[4] Cfr. pag. 6 not. 1.

[5] C. 29 n. 48: «Sed quia in eo erat *similitudo carnis peccati* (Rom. 8, 3), mutationes aetatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi iuvenis fuisset occisus».

senio, si vixisset [1], et tamen Adam non; hoc dixit propter hoc, quod mors non est semper propter peccatum.

6. Ad aliud, cum quaeritur: vel fuit sanctificata ante conceptionem vel in vel post, dico, quod argumentum procedit ex falsa imaginatione; quia ipsa caro mundata fuit in ipsa conceptione, non tamen sanctificata. Caro enim et natura irrationalis bene est susceptibilis mundationis, licet non sanctificationis; argumentum autem procedit, ac si idem esset sanctificatio et mundatio.

7. Ad aliud Augustini, *De fide ad Petrum*, dico, quod loquitur de immunditia ex parte parentum.

8. Ad aliud, cum dicitur: si fuisset sine peccato, non indiguisset redimi per passionem Christi, dico, quod sic; quia tota munditia Matris Virginis fuit a Filio; dicit enim Anselmus, II *Cur Deus homo* c. 16, ubi quaerit discipulus, quomodo Christus fuit mundus per se, si accepit munditiam a matre, et respondet Anselmus [2]: « Quoniam Matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi ab illo; ipse ergo per se ipsum et a se mundus fuit ». Unde tota munditia Matris fuit ei per Filium suum; unde indiguit passione Christi non propter peccatum, quod infuit, sed quod infuisset, nisi ipsemet Filius eam per fidem praeservasset. Et ideo dicit Augustinus in sermone *De Magdalena* [3], quod duplex est debitum, scilicet vel commissum et dimissum, vel non commissum, sed possibile committi; « nullum enim peccatum facit unus homo, quod non posset facere alius homo, nisi praeservaretur a Deo ».

9. Ad aliud de Hieronymo, cum dicit in glossa [4], quod sola anima Christi fuit sine peccato, dico, quod ly *sola* non excludit animam Matris, quam oportebat mundam esse, sicut et carnem, de qua corpus Filii debuit assumi in omni munditia.

---

[1] Cod. B continuat: « et ita quod assumitur non est generaliter verum, sed solum est in comparatione ad Adam et genus Adae secundum communem cursum ».

[2] Migne, P. L 158, 419.

[3] Sermo 99 (alias 23 ex *Homil. 50*), c. 6 n. 6: « Mihi debet iste, quod factum est et dimissum vidisti; mihi debes et tu, quod non fecisti. Nullum enim peccatum » etc.

[4] *Ordinaria* apud Lyranum in Ps. 21, 20, secundum Hieron. loc. pag. 4 nota 7 cit.

10. Ad aliud Augustini dicitur, quod loquitur de concupiscentia a parte parentum.

1. Ad primum principale in quaestione, cum dicit[1]: « Dicit Damascenus: purgans etc. », dico, quod aliquid purgari potest intelligi dupliciter, scilicet quod aliquid immundum auferatur, vel quod aliqua perfectio superaddatur; primo modo non intendit de purgatione, sed secundo; vel purgans non a peccato, quod infuit, sed quod infuisset, nisi praeservata fuisset; sicut matrimonium excusat a peccato, non quod inest, sed quod inesset, nisi bonum matrimonii excusaret.

2. et 3. Ad secundum et tertium dico, quod loquitur ex parte parentum.

4. Ad aliud, cum dicitur, quod tunc non fuisset sibi ianua aperta per mortem Christi, dicunt aliqui, quod non est inconveniens attribuere hanc praerogativam Matri Dei. Aliter dicitur, quod peccatum non est causa praecisa clausionis ianuae nisi meritoria, sed divinum decretum; sicut patet in sanctis, qui fuerunt in limbo ante passionem. Unde, si fuisset beata Virgo mortua ante passionem Filii, forte non evolasset, non propter impedimentum a parte peccati, sed propter stabilitatem divini decreti.

5. Ad aliud, cum dicitur sic: « In quadam glossa *De consecratione* d. III c. 1: 'De festo conceptionis nihil hic dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit et maxime in Anglia; et haec est ratio, quia in peccatis fuit sicut ceteri sancti, excepta unica persona Christi' », haec sunt verba glossae, quia in textu nil dicitur de hoc. Adhuc dico, quod iste apparatus non est tenendus, quia est contra sanctos.

---

[1] Vide pag. 1.

QUAESTIO IOANNIS DUNS SCOTI

Utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato?

Circa distinctionem III quaero, utrum beata Virgo fuerit concepta in peccato originali.

Quod sic:

1. *In* Adam *omnes peccaverunt,* ad Rom. 5 [1], non nisi quia [2] fuerunt in eo secundum rationem seminalem; ita fuit in eo beata Virgo: igitur etc.

2. Item, Damascenus c. 10 et 48 [3]: « Spiritus sanctus purgavit eam »; purgatio non est nisi a peccato: igitur habuit peccatum; non actuale: igitur etc.

3. Item, Augustinus, *De fide ad Petrum* [4]: « Firmissime tene, omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci [5] ».

4. Item, idem [6] super illud Ioannis: *Ecce Agnus Dei* etc.: « Solus innocens, qui sic non venit », scilicet secundum communem propagationem.

5. Item, Leo Papa in *Sermone de Nativitate Domini* [7]: « Sicut a reatu nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit »: igitur etc.

6. Item, Hieronymus super illud Psalmi [8]: *Et de manu canis unicam meam,* videtur idem dicere.

---

[1] Vers. 12.

[2] Pat. *qui.*

[3] III *De fide orthod.,* c. 2.

[4] Potius Fulgentius, *De fide ad Petr.,* c. 26 n. 69.

[5] Cod. F et C addunt: « Et ponitur auctoritas libri II dist. 30 septimo capitulo: 'Sed quod originale peccatum'; sed beata Virgo etc. ». — Vide Bonav., tom. II pag. 711 col. 1.

[6] *Tract. 4 in Ioan. Evang.,* n. 10.

[7] Serm. 21 (alias 20, et 1 in Nat. Dom.) c. 1.

[8] Vide supra pag. 4 notam 7.

7. Item, *De consecratione* d. III c. 1 *Nativitas;* ibi glossa [1]: quod concepta fuit in peccato originali.

8. Item Anselmus, II *Cur Deus homo*, c. 16 [2].

9. Item, hoc idem vult Bernardus in quadam epistola [3], et probat, quod non fuit sanctificata ante conceptum, nec in conceptu, quia ibi fuit libido.

CONTRA:

1. Augustinus, *De natura et gratia* [4] circa medium: « Cum de peccatis agitur, de Maria nullam prorsus volo habere quaestionem ».

2. Et Anselmus, *De conceptu virginali*, c. 18 [5]: « Decuit, ut ea puritate Virgo niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi ».

RESPONDEO:

Dicitur communiter [6], quod sic, propter auctoritates adductas et propter rationes assumtas ex duobus mediis, quorum unum est *ex excellentia Filii sui.* Ipse enim ut Redemptor universalis omnibus ianuam aperuit; sed, si beata Virgo non contraxisset originale, non indiguisset redemptore, nec ipse sibi ianuam aperuisset, quia non fuisset sibi clausa; non enim clauditur nisi propter peccatum, et maxime originale.

Secundum medium est *ex his, quae apparent in beata Virgine.* Ipsa enim fuit propagata communi lege, et per consequens corpus eius fuit propagatum et formatum de semine infecto, et ita eadem ratio infectionis fuit in corpore eius, quae est in corpore alterius sic propagati. Et cum ex corpore infecto inficiatur anima, eadem ratio infectionis erat in anima eius, quae est in animabus aliorum communiter propagatorum. — Similiter ipsa habuit poenas communes naturae humanae, ut sitim, famem et huiusmodi, quae infliguntur nobis propter peccatum originale; et illae non erant voluntarie assumtae, quia non erat redemptrix vel reparatrix nostra, quia tunc Filius

---

[1] Vid. supra pag. 1 notam 5. [2] Migne, P. L. 158, 416
[3] Epist. 174 n. 7 [4] C. 36 n. 42. [5] Migne, P. L. 158, 451.
[6] Cfr. Bonav., III Sent. d. 3 p. 1. q. 2 in corp.

eius non fuisset redemptor omnium generalis: igitur erant sibi inflictae a Deo; et non iniuste: ergo propter peccatum; et ita ipsa non erat innocens.

Contra primam rationem arguitur ex excellentia Filii sui, in quantum redemptor, reconciliator et mediator fuit, quod ipsa non contraxit peccatum originale. Perfectissimus enim mediator habet perfectissimum actum mediandi possibilem respectu alicuius personae, pro qua mediat; sed Christus est perfectissimus mediator: ergo Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem respectu alicuius creaturae sive personae, respectu cuius erat mediator; sed respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum quam respectu Mariae: igitur etc.; sed hoc non esset, nisi meruisset eam praeservare a peccato originali. Quod probo tripliciter: Primo, per comparationem *ad Deum*, cui reconciliat; secundo, per comparationem *ad malum*, a quo liberat; tertio, per comparationem *ad obligationem personae*, quam reconciliat.

Ad videndum primam probationem pono exemplum consonum exemplo Anselmi, *Cur Deus homo*, libro II c. 16[1]. Aliquis offendens regem demeretur in tantum, ut omni filio eius naturali rex offendatur et offensus exhereditet eum. Ista offensa statuitur non remittenda, nisi offeratur regi ab aliquo innocente aliquod obsequium magis placans et gratum, quam peccatum fuerit offensivum. Aliquis offert obsequium ita gratum, quod reconciliet filios, ut non exhereditentur; tamen cuilibet nato rex offenditur, licet postea remittat offensam propter merita mediatoris. Sed si ille mediator posset ita perfecte placare regem, ut praeveniret respectu alicuius filii, ne ei offenderetur, hoc magis esset, quam si rex offensam habitam contra talem remitteret; nec hoc est impossibile, cum haec offensa non sit ex culpa propria, sed ex alio contracta. Ex illo exemplo arguitur sic: Nullus summe vel perfectissime placat aliquem pro offensa alterius contrahenda, nisi posset praevenire, ne illi offendatur; nam si iam offensum placat, ut remittat, non perfectissime placat; sed in proposito Deus non offenditur animae propter motum interiorem in ipso, sed propter

[1] Migne, P. L. 158, 417.

culpam in ipsa anima: ergo Christus non perfectissime placat Trinitatem pro culpa contrahenda a filiis Adae, si non praeveniat, ut alicui Trinitas non offendatur, et per consequens aliqua anima alicuius filii Adae non habeat culpam talem; et possibile est, quod non habeat culpam.

Ex secunda via arguitur dupliciter: Primo, quia perfectissimus mediator meretur amotionem omnis poenae ab eo, quem reconciliat; sed culpa originalis est maior poena, quam ipsa carentia visionis divinae, sicut declaratum fuit d. 36 secundi libri, quia peccatum est maxima poena naturae intellectualis inter omnes poenas eius: igitur, si Christus perfectissime reconciliavit, istam poenam gravissimam meruit ab aliquo auferri; sed non nisi a Matre: igitur etc. Confirmatur istud per exemplum illud: quia, si filio Adae esset maxima poena, regem contra eum offendi, nullus eum perfectissime reconciliaret, nisi auferret ab eo non tantum exheredationem, sed etiam esse inimicum regis: igitur etc. — Ex eadem via arguitur secundo sic: Christus immediatius videtur fuisse reparator et reconciliator noster a peccato originali quam actuali, quia necessitas incarnationis, passionis etc. assignatur communiter ex peccato originali; sed supponitur communiter, quod ipse fuit ita perfectus mediator respectu alicuius personae, puta Mariae, quod eam praeservavit ab omni peccato actuali: igitur similiter a peccato originali.

Ex tertia via arguo sic: Persona reconciliata non summe obligatur mediatori, nisi ab ipso summum bonum habeat, quod potest per mediatorem haberi; sed innocentia illa, scilicet praeservatio a culpa contracta vel contrahenda, potest haberi per mediatorem: ergo nulla persona summe tenebitur Christo ut mediatori, si nullam praeservavit a peccato originali.

Et si dicas, quod aequaliter tenetur persona, cui remittitur peccatum, quantum persona, quae praeservatur a peccato, propter illud Lucae 7 [1]: *Cui magis dimittitur, magis diligit*, quaere ibi responsionem Augustini [2], quod omnia possibilia

---

[1] Vers 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* [2] Serm. 99 (alias 25 ex *50 Homil.*), c. 6 n. 6, ubi explicans Luc. 7, 56 sqq. dicit: «Hic multa commisit, et multorum debitor factus est ille gubernante Deo, pauca

committi non commissa sunt dimissa, ac si essent commissa. Immo excellentius beneficium est praeservare a malo, quam permittere incidere in malum, et ab eo postea liberare. — Videtur etiam, quod, cum Christus multis animabus meruerit gratiam et gloriam, et pro his sint Christo debitores ut mediatori, quare nulla anima erit ei debitrix pro innocentia? Et quare, cum omnes angeli beati sint innocentes, nulla humana anima erit innocens in patria, nisi sola anima Christi?

Secunda etiam ratio, quae accepta fuit ex his, quae apparent in Maria, non videtur concludere. Quod enim arguitur primo de infectione carnis propter seminationem, non arguit, secundum viam Anselmi de peccato originali, quae tacta fuit dist. 32 libri secundi. Aut dato, quod sic contrahatur peccatum originale communiter: sicut [1] ista infectio carnis manens post baptismum non est necessaria causa, quare maneat peccatum originale in anima, sed ipsa anima manente peccatum originale deletur per gratiam collatam illi; ita posset esse in primo instanti, quod non esset causa necessaria infectionis animae, sed gratia deleret culpam in anima.

Aliud de passionibus Mariae non concludit. Potest enim mediator reconciliare aliquem, ut auferantur ab eo poenae sibi inutiles, et relinquatur in poenis sibi utilibus; originalis culpa non fuisset utilis Mariae; poenae temporales tamen fuerunt utiles, quia in eis meruit; igitur etc.

Ad quaestionem dico, quod Deus potuit facere, quod ipsa nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti fuisset in peccato; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato et in ultimo instanti illius temporis purgaretur.

Primum declaro, quia gratia aequivalet iustitiae originali quantum ad acceptationem divinam, ut propter hanc animae

---

commisit. Cui deputat ille, quod dimisit, huic et iste deputat, quod non commisit». — Cfr. *De sancta virginit.*, c. 40 n. 41: «Deputate vobis tanquam omnino dimissum quidquid mali a vobis non est, illo regente, commissum». Cfr. *ibid.*, c. 41 n. 42 et c. 52 n 53.

[1] Alii *tamen.*

habenti gratiam non insit peccatum originale. Potuit enim Deus in primo instanti illius animae infundere sibi gratiam tantam, quantam alii animae in circumcisione vel baptismo: igitur in illo instanti anima non habuisset peccatum originale, sicut nec habuisset postea, quando fuisset baptizata. Et si infectio carnis fuit ibi in primo instanti, non fuit tamen necessaria causa infectionis animae, sicut nec post baptismum, quando manet secundum multos, et infectio animae non manet. — Aut potuit caro mundari ante infusionem animae, ut in illo instanti non esset infecta.

Secundum patet, quia agens naturale potest incipere agere in instanti, ita quod in illo instanti fuerit in esse quieto sub uno contrario, et in tempore habito est sub forma contraria in fieri; sed quandocumque agens naturale potest agere, Deus potest agere: igitur potest et in tempore, habito alicui instanti causare gratiam. — Hoc etiam confirmatur, quia, quando anima est in peccato, potest per potentiam divinam esse in gratia; sed in tempore illo, quo fuit concepta, potuit esse in peccato et per te fuisset: ergo similiter potuit esse in gratia; nec necesse fuit tunc, quod fuisset in gratia in primo instanti illius temporis, sicut nec de mutatione et motu [1]. — Praeterea, in primo instanti potuit creasse gratiam in illa anima: ergo etc.

Tertium est manifestum.

Quod autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit; si auctoritati scripturae vel auctoritati ecclesiae non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariae.

Contra secundum istorum membrorum instatur dupliciter. Primo sic: quidquid Deus immediate agit circa creaturam, agit in instanti, quia secundum Philosophum VIII *Physicorum* [2] virtus infinita agit in instanti, quia virtus infinita et finita non possunt agere in aequali mensura: ergo non potest iustificare animam in tempore, habito instanti culpae.

---

[1] C *in motu.*

[2] Text. 78 sq. (c. 10, alias 15)

Praeterea, aut illa iustificatio esset motus aut mutatio; non mutatio, quia non esset in instanti; non motus, quia non esset successio secundum partes mobilis, scilicet animae, quia ipsa est indivisibilis, neque secundum partes formae, scilicet gratiae, neque secundum media inter extrema; non enim est medium inter privative opposita circa aptum natum, sicut nec est absolute medium inter contradictoria; nec alterum illorum secundum partes acquirebatur vel amittebatur, neque subiectum est divisibile: igitur.

Ad primam instantiam dico, quod, si Deus in aliquo instanti alicuius temporis voluntarie agit, non necessario oportet, eum exspectare tempus, ut in instanti determinato illius temporis agat; sed potest agere in tempore, in cuius primo instanti non egit. Verum est igitur, quod Deus potest agere in instanti, quidquid immediate agit, sed non est necesse, ipsum agere in instanti.

Ad secundum dico, quod stricte loquendo, sicut Philosophus loquitur de motu et mutatione, ista iustificatio-passio nec est motus nec mutatio, sed aliquid de utroque; hoc quidem habens de mutatione, quod ut forma simplex et indivisibilis inest subiecto; hoc autem de motu, quia in nulla mensura indivisibili inest, sed in tempore; et in hoc deficit a mutatione. Deficit autem a motu, quia non est fluxus secundum partes formae vel mobilis, vel secundum media inter extrema, quia hic nulla sunt media, sicut probatum est.

Exemplum huius est: mobile transit a forma, sub qua fuit in ultimo instanti quietis, ita quod post illud instans est continua deperditio illius formae secundum partes eius et continua acquisitio formae oppositae; sed, si in illo toto tempore inesset forma opposita, tamen non successive acquirerentur partes eius; esset simile in proposito, quia tunc illius formae acquisitio non esset motus nec mutatio, sicut nec modo transitus ab immutatione ad motum est mutatio vel motus.

Sed, quare passio causata ab agente naturali est mutatio vel motus, et non ista? Respondeo, quia agens naturale, si potest subiecto inducere formam, inducit per mutationem; et si non potest, necesse est, ut agat in tempore, et ita per motum, et ita modo. Deus autem, etsi potest inducere formam in instanti, tamen, si non induceret in instanti, potest inducere totam in tempore, ita quod non partes ante partes. Posse

enim agere in tempore non est imperfectionis in agente, licet necessitas agendi in tempore sit imperfectio.

Si autem teneatur pars negativa quaestionis, ad omnes auctoritates in contrariam partem respondetur, quod quilibet filius Adae naturaliter est debitor iustitiae originalis, et ex demerito Adae caret ea, et ideo omnis talis habet, unde contrahat peccatum originale. Sed, si alicui in primo instanti creationis animae detur gratia, ille nunquam caret iustitia originali. Hoc tamen non est ex se, sed merito alterius, si propter meritum confertur sibi gratia; haberet enim peccatum originale, nisi alius praeveniret mediando. Et ita exponendae sunt auctoritates, quia omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, hoc est: ex modo, quo habent naturam ab Adam, habent, unde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur; sed, sicut posset post primum instans conferri gratia, ita posset in primo instanti.

Per idem patet ad rationes factas pro prima opinione, quia Maria maxime indiguisset Christo ut Redemptore; ipsa enim contraxisset originale peccatum ex ratione propagationis communis, nisi fuisset praeventa per gratiam mediatoris; et sicut alii indiguerunt Christo, ut per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita Maria magis indiguit mediatore praeveniente peccatum, ne ipsa contraheret.

Et, si arguatur contra hoc, quod ipsa naturaliter prius fuit filia Adae, quam habuit gratiam, quia prius fuit persona, quam habuit gratiam; in illo igitur priori tenebatur ad iustitiam originalem, quia naturalis filia Adae, et non habuit eam: ergo in illo priori contraxit originale peccatum: respondeo et dico, quod, quando opposita comparantur ad idem secundum ordinem naturae, non simul ambo insunt, sed tantum alterum inest; reliquum autem, quod dicitur prius natura, non inest, quia in eodem instanti oppositum non inest; sed dicitur prius natura, quia tunc inesset, quantum est ex parte subiecti, nisi aliquid extrinsecum impediret.

Exemplum: si materia comparatur ad formam et ad privationem, prius naturaliter est materia non habens formam quam habens, non quod in illo instanti, in quo habet formam,

realiter non habeat eam, quia tunc contradictoria essent simul vera; sed quia tunc materia quantum ex se dimissa sibi non haberet formam, si alius habens non daret. Similiter subiectum est prius naturaliter utroque opposito, quia prius naturaliter est unumquodque illud, quod est in se, quam sit vel non sit illud, quod est in alio; et ita, licet materia prius naturaliter sit privata quam formata, non tamen sequitur, quod ipsa aliquando non sit sub forma. Similiter, licet prius natura materia sit aliquid in se, quam privata vel formata, non tamen sequitur, quod ipsa aliquando sit in se ita, quod nec sub privatione nec sub forma, quia hoc modo non est aliud esse prius, nisi quod secundum propriam rationem eius, qua dicitur prius, neutrum illorum includit.

Ita in proposito dico, quod natura animae praecedit naturaliter iustitiam originalem sive gratiam aequivalentem et carentiam iustitiae debitae, et etiam in illa natura praecedit naturaliter carentia illa iustitiae originalis illam iustitiam, quia, quantum est ex subiecto, quod est prius naturaliter utroque opposito, prius naturaliter privatio inesset; tamen non oportet, animam esse aliquando sub neutro extremo, neque prius esse sub privatione quam sub opposito.

Quando igitur arguitur, quod prius naturaliter fuit filia Adae, quam iustificata, concedo, quia illam naturam in primo instanti naturae sic conceptam consequebatur esse filiam Adae et non habere gratiam in illo instanti naturae. Sed non sequitur: ergo in illo instanti naturae fuit privata, loquendo de omnino primo instanti, quia secundum illam primitatem natura animae ita naturaliter praecessit privationem iustitiae, sicut ipsam iustitiam; sed tantum potest hic inferri, quod in ratione naturae, quae est naturaliter fundamentum filiationis Adae, non includitur iustitia, nec eius carentia, quod concedo.

Sed si obicias de alio modo prioritatis naturae, quod ipsa est naturaliter prius carens iustitia quam habens eam, cum hoc insit sibi a causa intrinseca, dico, quod hoc prius natura nunquam inest naturaliter, sed tantum inesset, si causa extrinseca non impediret, et poneret oppositum eius inesse; sicut, si in primo instanti naturae materia informaretur, privatio, quae alias inesset naturaliter materiae, nunquam ei inesset[1].

[1] Ed. plura addit, codd. omittunt.

Et si arguatur: Maria non est iusta in primo instanti naturae: ergo in illo instanti est non iusta, ex *2 Periherm.*[1] dico, quod consequentia non valet in praedicatis compositis: non est album lignum, ergo est lignum non album. Ita hic: non est iusta in primo instanti, igitur est non iusta in primo instanti, quia non est iusta in primo instanti, sensus est: non est iusta in primo instanti naturae, quantum est ex ratione sui: ergo non sequitur: ergo est non iusta in ratione sui, quia neutrum illorum essentialiter includit.

Et si arguas: in illo primo instanti vere intelligitur non iusta, dico quod non; sed non intelligitur iusta, quia « abstrahentium non est mendacium » (II *Physicorum*[2]); quia non omnis intellectus non intelligens hoc intelligit non hoc, ut non intelligens hominem esse animal non intelligit ipsum non animal, quia tunc non posset esse abstractio sine mendacio, auferendo ab aliquo quod sibi essentialiter inest.

Ad aliud de apertione ianuae patet; quia ianua fuit sibi aperta per meritum passionis Christi praevisae et acceptatae specialiter in ordine ad hanc personam, ut propter illam passionem nunquam huic personae inesset peccatum, et ita nec aliquid, propter quod ianua clauderetur sicut aliis.

Et si dicas: igitur, si fuisset mortua ante passionem Filii, fuisset beata? dici potest, quod sancti patres in limbo purgati fuerunt a peccato originali, et tamen clausa fuit ianua usque ad solutionem poenae debitae. Ita enim determinaverat Deus, quod, licet acceptaret passionem Christi praevisam ad remittendum culpam originalem omni credenti et credituro illam passionem, non tamen remittebat poenam illi peccato debitam, scilicet carentiam visionis divinae propter passionem praevisam, sed propter ipsam praesenter exhibitam, et ideo, sicut illis patribus non patuit ianua, quousque passio Christi fuit exhibita, ita probabile est, quod nec beatae Virgini.

Ad argumentum Bernardi potest responderi, quod in instanti conceptionis matris fuisset sanctificatio non a culpa, quae tunc infuit, sed a culpa, quae tunc infuisset, nisi tunc gratia illi animae fuisset infusa.

---

[1] Text. 18 (c. 8).
[2] Text. 18 (c. 1).

Et si arguatur, quod ibi fuit libido, falsum est de conceptione matris, licet posset concedi in conceptione seminum. Et dato, quod in conceptione seminum fuisset creatio animae, non fuisset aliquod inconveniens, gratiam tunc fuisse infusam animae, propter quam anima non contraxisset aliquam infectionem a corpore cum libidine seminato. Sicut enim post primum instans baptismi potuit manere infectio corporis contracta per propagationem cum gratia in anima mundata, ita potest esse in primo instanti, si Deus tunc creavit gratiam in anima Mariae.

TRACTATUS PETRI AUREOLI

Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram, Proverbiorum 8 [1].

De conceptione immaculatae Virginis tractaturi, quae se videtur innuere in hoc verbo absque originalibus conceptam tenebris et abysso cuiuscumque peccati, quemadmodum et felix eiusdem Filius decantando testatur, Canticorum 4 [2]: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*, praesens opusculum in sex capitula partiemur, in quorum *primo* inducuntur auctoritates canonis, deinde auctoritates sanctorum et tertio rationes, quibus videtur concludi, quod fuerit in peccato originali concepta; in *secundo* vero ponentur distinctiones de conceptione et de originali peccato, ex quibus colligitur quaestionis intentio et punctus inquirendus; in *tertio* quoque probabitur, quod Deus de potentia absoluta Virginem, ne originale contraheret, potuit praeservare; in *quarto* vero evidentissime ostenditur, quod de summa decentia [3] Mariam potuit praeservare; in *quinto* vero, quod absque periculo fidei et erroris potest teneri, quod Deus eam praeservavit de facto; nec una pars nec alia est de necessitate fidei, donec per ecclesiam determinatum fuerit, quid sit tenendum; in *sexto* vero solventur rationes et auctoritates in capitulo primo inductae. Et hic erit finis tractatus.

Capitulum I.

In quo ponuntur auctoritates **canonis,** *deinde* **sanctorum,** *tertio* **rationes,** *quibus videtur concludi, quod fuerit in originali peccato concepta.*

1. Ponuntur auctoritates canonis.

Virginem itaque in originali conceptam fuisse, videtur auctoritatibus canonis comprobari.

---

[1] Vers. 24. [2] Vers. 7. [3] Cod. A *essentia.*

1. Ait enim apostolus ad Romanos 3 [1], quod *iustitia Dei* est *per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio, quia omnes peccaverunt et egent gratia* [2] *Dei.* Ergo Virgo Maria, cum sit de numero omnium eorum, qui credunt in Christo, inter quos cum nulla est distinctio, quoniam peccaverunt omnes, concepta fuit in peccato.

2. Praeterea, ad Romanos 5 [3] ait apostolus, quod *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Cum igitur qui *omne* dicit, nihil excipiat, Virgo Maria a peccato Adae non videtur fuisse excepta.

3. Praeterea, subdit ibidem apostolus [4], quod sicut *unius,* Adae videlicet, *delictum regnavit in omnes homines in condemnationem, sic unius,* scil. Christi, *iustitia regnavit in omnes homines in iustificationem vitae;* ex quo colligitur, quod in tot se diffudit peccatum Adae, in quot iustificatio Christi; sed haec se diffudit in Virginem: ergo peccatum se diffudit in eam.

4. Praeterea, ad Romanos 11 [5] dicit quod *conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur;* sed certum est, quod misertus est Virginis: ergo fuit sub peccato conclusa.

5. Praeterea, ad Ephesios 2 [6] dicit idem apostolus, quod *eramus natura filii irae, sicut et ceteri;* sed certum est quod Virgo Maria est de numero ceterorum: ergo fuit filia irae.

6. Praeterea, propheta in Psalmo [7]: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* id est Christum, secundum glossam [8]; ergo Virgo Maria aliquando fuit inutilis et per peccatum declinavit; quare originale contraxit.

7. Praeterea, illud verbum [9]: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea,* etsi dicatur singulariter de ipso propheta, nihilominus secundum Bernardum

---

[1] Vers. 22 sq.
[2] Vulgata *gloria;* cfr. De la Haye, *Biblia Maxima,* in hunc locum.
[3] Vers. 12. [4] Vers. 18.
[5] Vers. 32 et Gal. 3, 22.
[6] Vers. 3. [7] Ps. 13, 3.
[8] Scilicet *interlinearem* apud Lyranum in hunc locum.
[9] Ps. 50, 6.

in *Epistola ad Lugdunenses* [1] intelligendum est de omni homine: ergo Virgo Maria erit de illis.

8. Praeterea, Ecclesiastae 7 [2] sapiens ait: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni;* et exponit Hugo [3]: Unum virum, i. e. Christum, reperi sine peccato; de mulieribus autem nullam: ergo Virgo Maria originale contraxit.

9. Praeterea, I ad Corinthios 15 [4] dicit apostolus, quod, *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur:* ergo, cum Virgo Maria fuerit iustificata per Christum, in Adam mortua exstitit per peccatum.

2. Hoc idem videtur posse probari **auctoritatibus sanctorum.**

1. Ait enim Augustinus [5], *De fide ad Petrum* 26, et habetur *De consecratione* d. 4 in corpore decretorum [6]: « Firmissime tene et nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci impietati subditum mortique subiectum, et ob hoc *natura filium irae* nasci [7], a qua ira nullus liberatur nisi per fidem *mediatoris Dei et hominum Iesu Christi* [8], qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus sacrificium factus est pro peccatis nostris »: ergo iuxta illam regulam Maria fuit filia irae, utpote quae concepta est per concubitum viri et mulieris.

2. Praeterea, X *Super Genesim* c. 26 [9] dicitur, quod «secundum rationem seminalem» fuit Levi in lumbis Abrahae et ideo decimatus, « secundum quam caro Christi ibi non fuit, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariae caro », et subdit, quod, « cum in semine sit visibilis corpulentia et invisibilis ratio, utrumque concurrit ex Abraham et ex ipso Adam usque ad corpus Mariae, quia ipsa eo modo concepta et exorta est;

---

[1] Epist. 174, n. 8: « Quo excepto (Christo), de cetero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur: *In iniquitatibus* » etc. [2] Vers. 29. [3] Hugo de S. Charo in Eccl. 7, 29. [4] Vers. 22. [5] Potius Fulgentius, *De fide ad Petrum* c. 26 n. 69. [6] C. 3. [7] Eph. 2, 3. [8] I Tim. 2, 5. [9] Nunc c. 20 n. 35 sq.

Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis eius non a semine virili sed longe aliter ac desuper venit ». Et concludit, quod « ille decimatus non fuit in Abraham, cuius caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Caro namque Abrahae et simul habebat et vulnus praevaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis quae per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur; medicamentum vero vulneris in eo, quod inde sine opere concupiscentiali in sola materia corporali per divinam conceptionis formationisque rationem de Virgine assumptum est ». Haec Augustinus. Ex quibus apparet, quod vulnus praevaricationis Adae fuit in carne Virginis, quae propagata est sicut et ceteri homines et concepta.

3. Praeterea, puper illud Hebraeorum 7 [1]: *In Levi, qui decimas accepit, decimatus est; adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit illi Melchisedech*, glossa [2] dicit sententialiter ea, quae allegata sunt de verbis Augustini, X *Super Genesim* [3], quia ex ipso loco sumitur glossa ista; igitur id, quod prius.

4. Praeterea, Augustinus, *Super Ioannem* homilia 4 [4], exponens illud: *Ecce, Agnus Dei* [5], quaerit: « An non et ipse Ioannes innocens »? Et respondet: « Quantum innocens? omnes ex illa radice [6] veniunt et ex illa propagine, de qua cantat gemens David dicens [7]: *ego in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Solus ergo ille Agnus, qui non sic venit. Non enim in iniquitate conceptus est, quia non de mortalitate conceptus est. Nec eum in peccatis mater eius in utero aluit, quem virgo concepit, virgo peperit; quia fide concepit et fide suscepit. Ergo *ecce, Agnus Dei.* Non habet iste traducem de Adam; carnem tantum assumpsit de Adam; peccatum non accepit. Qui non assumpsit de nostra massa peccatum, hic est, *qui tollit* nostrum *peccatum* ». Igitur videtur iuxta ista verba, quae

---

[1] Vers. 9.

[2] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum in hunc locum.

[3] Supra notata.

[4] Scilicet *Tr. 4 sup. Ioan. Evang.* n. 10.

[5] Ioan. 1, 29.

[6] Textus originalis *traduce.*

[7] Ps. 50, 7.

asserit Augustinus, quod omnis, qui est ex traduce, sit in iniquitatibus conceptus, et sic Virgo Maria in peccatis exstitit, nec aliquis exceptus est nisi Christus.

5. Praeterea, *De baptismo parvulorum* libro I [1] Augustinus dicit, quod « Adam occulta tabe carnalis concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes »; sed Maria venit de stirpe Adam: ergo tabificata fuit tabe carnalis concupiscentiae et per consequens originale contraxit.

6. Praeterea, in eodem libro [2] dicit, quod « solus Christus sine peccato fuit »; cum igitur nullum excipiat nisi Christum, non videtur Maria excipi ab originali peccato.

7. Praeterea, *De baptismo parvulorum* lib. II quaestione 4 [3] dicit idem doctor egregius Augustinus, quod iam « restat inquirere, utrum non solum sit verum, an aliquando esse possit aut potuerit, qui omnino numquam ullum habuerit peccatum habiturusve sit »? Et subdit determinando, quod « nisi unum mediatorem Dei et hominum Christum Iesum, nullum sine peccato vel esse vel fuisse vel futurum esse, certissimum est. Ex quo conficitur, etsi quisquam in hac vita esse potuisset, qui virtute ita perficeretur ut ad tantam iustitiae plenitudinem perveniret, qua nullum omnino haberet peccatum, non esse tamen dubitandum, eum fuisse antea peccatorem, unde in illam novitatem converteretur ». Et infra: « Non est in filiis hominum quisquam sine peccato nec fuit nec erit, excepto uno mediatore, in quo nobis propitiatio et iustificatio posita est, per quem finitis inimicitiis peccatorum Deo reconciliamur ». Ergo videtur secundum ea, quae de plano et clare determinavit hic Augustinus, quod nullus alius unquam sine peccato fuit nisi Christus: non ergo Virgo Maria.

8. Praeterea, subdit in eodem libro et quaestione eadem [4], quod « solus ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum unquam habuit nec sumsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati; quod enim carnis inde suscepit, aut suscipiendum mundavit aut suscipiendo mundavit ». Cum igitur hic carnem maternam Mariae vocet carnem peccati et iterum eam dicat esse mundam, apparet, quod originale contraxit.

---

[1] C. 9 n. 10.
[2] Cfr. c. 29 n. 57.
[3] C. 20 n. 34.
[4] *Ibid.* c. 24 n. 38.

9. Praeterea, circa finem eiusdem secundi concludit Augustinus [1], quod « teneamus fidei indeclinabilem confessionem, videlicet quod solus unus est, qui sine peccato natus est, in similitudinem carnis peccati, sine peccato vixit inter aliena peccata, mortuus est sine peccato propter nostra peccata »; et subdit: « Nec declinemus in dexteram nec in sinistram; in dexteram quidem declinare est se ipsum decipere dicendo, se ipsum sine peccato esse ». Videtur igitur Augustinus dicere, quod solus unus natus sit et conceptus sine peccato, scilicet Christus, ex quibus concluditur, quod Maria sine originali peccato dici non potest. — Praeterea Augustinus in toto libro isto videtur hanc conclusionem deducere ex intento. Unde temerarium esse videtur oppositum affirmare.

Hoc idem videtur auctoritatibus Ambrosii, Gregorii, Leonis, Damasceni et Anselmi ac beati Bernardi evidenter concludi.

1. Ait enim Ambrosius, *Super Lucam* [2], sicut recitat Augustinus, *Contra Iulianum* libro primo [3], quod « solus Dominus Iesus Christus qui ex natis de femina natus fuit, qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non sensit et coelesti depulit maiestate ». Cum igitur Mariam non excipiat, videtur, quod senserit terrena contagia corruptelae et per consequens contraxit peccatum originale.

2. Item, Gregorius, *Moralium XXXIII* [4] exponens illud Iob [5]: *Sub umbra dormivit et in secreto calami*, dicit, quod « virtus Altissimi Mariae obumbravit, quia in eius utero lux incorporea corpus sumsit, ex qua obumbratione, omne in se refrigerium mentis accepit »; ergo Virgo Maria peccatum habuit, ut videtur, alias refrigerium mentis non accepisset.

3. Praeterea, Gregorius, *XI Moralium* [6] exponens illud verbum [7]: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* dicit, quod « beatus Iob incarnationem Redemptoris intuitus solum vidit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum, qui sic in mundum venit ex Virgine, ut nil haberet de immunda conceptione. Solus ergo

---

[1] *Ibid.* c. 35 n. 57.
[2] Lib. II n. 56.
[3] C. 3 n. 10.
[4] C. 3 n. 5.
[5] Iob 40, 16.
[6] C. 52 n. 70.
[7] Iob 14, 4.

in carne sua vere mundus exstitit, qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem delectationem huc venit ». Cum ergo Maria concepta fuerit per delectationem carnalem, videtur, quod conceptionem immundam habuerit, secundum quod fuerit infecta tactu delectationis carnalis.

4. Praeterea, Leo in *Sermone de natali Domini* [1] dicit, quod « Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit » ; ergo ut videtur, nec Virginem liberam reperit a peccato.

5. Praeterea, Damascenus lib. III c. 2 [2] dicit, quod Spiritus sanctus supra venit in Virginem Mariam purgans ipsam et virtutem susceptivam Verbi Dei tribuens, simul autem et generativam; sed purgatio aliquam maculam peccati supponit: ergo ipsa fuit in aliquo peccato.

6. Praeterea, Anselmus, lib. II *Cur Deus homo* c. 16 [3] dicit, quod « licet hominis eiusdem conceptio munda sit et absque delectationis carnalis peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumtus est, *in iniquitatibus est concepta, et in peccatis concepit eam mater eius* [4], et cum originali peccato nata est, quia et ipsa in Adam peccavit, *in quo omnes peccaverunt* [5] ». Cum ergo doctor sanctus iste sic dicat, temerarium videtur oppositum opinari.

7. Praeterea, eodem libro et eodem capitulo [6] dicit Anselmus quasi confirmans verba discipuli immediate allegata, quod « Virgo illa, de qua iste homo assumtus est, fuit de numero illorum, qui ante nativitatem eius per eum mundati sunt a peccatis, et in eius munditia de illa assumtus est»; sed non mundatur a peccato nisi qui exstitit in peccato: ergo Virgo ante nativitatem fuit in peccato et ita concepta in originali.

8. Praeterea, parum post dicit Anselmus [7], quod homo iste, scil. Christus, « absque peccato de massa peccatrice » assumtus est; ergo Maria obnoxia fuit peccato.

9. Praeterea, *De conceptu Virginali* c. 18 [8] dicit idem Anselmus, quod « Virgo per fidem ante ipsam conceptionem

---

[1] Serm 21 (alias 20, et 1 in Nat. Dom.) c. 1. [2] Operis *De fide orthodoxa;* cfr. Migne, P. G. 94, 986. [3] Migne, P. L. 158, 416. [4] Ps. 50, 7. [5] Rom. 5, 12. [6] Migne P. L. 158, 419. [7] L. c. 425. [8] Migne, P. L. 158, 451. Cfr. II. *Cur Deus homo* c. 16 sq.

mundata » est; sed non potuit mundari, si aliquando non fuit immunda: ergo aliquando habuit immunditiam peccati.

10. Praeterea, in *Epistola ad Lugdunenses* [1] dicit Bernardus, quod « ante conceptum Virgo sanctificari minime potuit quoniam non erat; sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat; restat igitur, ut post conceptum in utero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quae, excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem, non tamen conceptionem. Quamobrem, etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum sit cum sanctitate nasci, non tamen et concipi, ut uni sane servaretur sancti praerogativa conceptus, qui omnes sanctificaret solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solo itaque Domino nostro Iesu Christo excepto universos de cetero respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* ». Et infra : « Libenter itaque hoc honore gloriosa carebit quo vel peccatum honorari vel falsa sanctitas videtur induci. Alioquin nulla ei ratione placebit contra ecclesiae ritum praesumta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis ». Ex quibus concluditur evidenter, quod dicere Virginem non contraxisse originale peccatum non solum sit falsum, immo superstitiosum, leve ac temerarium, nec Mariae placitum nec acceptum, utpote quae falso honore exaltari non optat.

11. Praeterea, in quodam sermone Bernardus exponens de beata Virgine illud verbum [2]: *Aufer rubiginem de argento*, sic dicit: « *De argento*, hoc est de Virgine, *aufer rubiginem*, hoc est originale peccatum, *et sic egredietur vas purissimum* [3] » : videtur ergo, quod fuerit in ipsa rubigo originalis peccati.

12. Praeterea, multa alia dicit Bernardus, ex quibus videtur fuisse istius intentionis.

Ponuntur rationes sumtae ex glossis.

Hoc idem videtur ex intentione glossarum ac Magistri sententiarum evidenter inferri.

---

[1] Epist. 174 n. 7 sq. [2] Prov. 25, 4. [3] Eadem Albert. M., *In Apocal.*, ad 8, 3 et Bonav., *Opera omnia*, t. IX pag. 634 et 714.

1. Nam super epistolam ad Romanos dicit glossa [1], quod *omnes in Adam* peccavimus; hoc non est nisi, quia fuimus in Adam « secundum rationem seminalem ».

2. Item, « omnes peccatores inveniunt gratiam Dei per Christum, qui solus sine peccato venit [2] ».

3. Item, « *omnes egent gloria Dei,* ut ipse liberet, qui potest, non tu, qui liberatione indiges [3] ». Ergo cum Maria fuerit secundum rationem seminalem in Adam, et iterum gratia Dei indigeat, videtur, quod fuerit in peccato.

4. Magister sententiarum lib. III d. 3 c. 1 dicit, quod « credi oportet iuxta sanctorum attestationes conveniens [4], carnem Christi prius peccato fuisse obnoxiam sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo ».

5. Praeterea, c. 3 dicit, quod « illa caro Christi, cuius excellentia singularis verbis explicari non valet, antequam esset Verbo unita, obnoxia fuit peccato, etiam in Maria et in aliis, a quibus propagatione traducta est ».

6. Praeterea, c. 4 dicit, quod « cetera hominum caro omnis peccati caro est, sola vero Christi non est peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit »; et infra: « *Venit* Dei Filius *ad corpus immaculatum* [5], quod praeter libidinis concupiscentiam fuit conceptum, nec in se illud habuit vitium, quod in aliis est causa peccati nec in eo peccavit ».

7. Praeterea, glossa [6] super illud Psalmi: *Et de manu canis unicam meam,* dicit, « quod anima Christi dicitur unica, quia sola est a peccato immunis »; sed omnes tenent animam Virginis immunem a peccato mortali et veniali, quia sola est a peccato immunis: ergo ipsa fuit obnoxia originali, alias esset immunis ab omni peccato, sicut anima Christi.

---

[1] Ex August., X *Super Genesim,* c. 20 n. 35.

[2] et [3] Ita August., *Enarrat. in Ps.,* En. 2 in Ps. 30 n. 6: « Omnes peccatores invenit; solus sine peccato venit, qui nos peccatores invenit. Hoc ait Apostolus: *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei.* Quid est: egent gloria Dei? Ut ipse liberet, non tu, quia tu te liberare non potes, indiges liberatore» (Quoad lectiones variantes cfr. Bonav., *Opera Omnia,* t. III pag. 67 not. 6).

[4] Alias *attestationis convenientiam.*

[5] Sap. 8, 20.

[6] Vide supra pag. 4 not. 7.

8. Praeterea, glossa super illud Psalmi: *Ecce, ego in iniquitatibus conceptus sum*, dicit [1], quod « in omnibus trahitur iniquitas ex Adam et vinculum mortis » ; et alloquens Christum subdit: « Nemo nascitur nisi trahens poenam et meritum poenae, nisi tu, qui de Spiritu sancto conceptus es; in omnibus enim sunt vincula peccati, propago mortis, nisi, tu, qui de Spiritu sancto conceptus es ». Cum ergo non excipiatur in his verbis Virgo Maria nec de Spiritu sancto concepta sit, videtur, quod nata sit cum merito poenae, peccati vinculis, propagine mortis, et sic in originali concepta.

9. Praeterea, *De consecratione* dicit Ioannes [2], quod non oportet fieri festum de conceptione, quia concepta fuit in originali: ergo videtur, quod glossator opinionem confirmet de conceptione Virginis in peccato.

3. Hoc idem videtur **rationibus** posse declarari.

1. Christus enim fuit universalis Redemptor, ita quod omnes homines indigent gratia Redemptoris; sed beata Virgo, si non fuisset in originali concepta, non indiguisset gratia redimente, quia non redimitur, nisi quod est venumdatum sub peccato; ergo ipsa originale contraxit.

2. Praeterea, Christi sanctitas et munditia dicitur fuisse singularis et privilegiata; sed nullum privilegium habuisset in sanctitate, si aliquis alius praeter ipsum fuisset sine originali peccato conceptus: ergo Maria concepta fuit in originali peccato, alias attigisset privilegium Christi.

3. Praeterea, poena sequitur culpam; beata autem Virgo non fuit immunis a poenalitatibus et miseriis, quae pro culpa originali humanae naturae debentur, quales sunt fames, sitis, mors et similes: ergo nec fuit, ut videtur, ab originali culpa immunis.

4. Praeterea, tota ratio clausionis ianuae paradisi est originale peccatum: ergo qui originale non habuit, non indiguit apertione ianuae paradisi, ut videtur; sed Maria indiguit, ut per passionem Christi aperiretur sibi caelestis ianua,

---

[1] Scilicet *ordinaria et interlinearis* apud Lyranum in Ps. 50, 7. sec. August., *Enarrat. in Ps.* 50, 7, n. 10 et 9. [2] Vide supra pag. 1 not. 4.

sicut et ceteris; alias, si fuisset mortua ante Christi passionem, intrasset in caelum, quod est erroneum dicere et contrarium fidei: ergo omnino originale contraxit.

5. Praeterea, prius est nasci aliquo modo nativitatis, quam renasci per gratiam: ergo prius fuit nata saltem in utero et concepta Maria, quam sanctificaretur: ergo in ipsa conceptione fuit in peccato.

6. Praeterea, Christum decuit, quia ita voluit in incarnatione summe humiliari iuxta illud apostoli ad Philippenses 2[1]: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo;* nunc autem maior fuit humilitas, si carnem assumsit de virgine peccatrice et obnoxia saltem originali peccato: ergo decuit, ut mater eius aliquando fuerit in peccato. Et huic rationi alludit illud verbum Hieronymi super Matthaeum[2]: «Notandum, ait, quod in genealogia Salvatoris nullam sanctarum legimus assumi mulierum, sed eas tantum, quas scriptura reprehendit, ut, qui pro peccatoribus venit, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret».

7. Praeterea, non ob aliud videtur esse ponendum, quod beata Virgo Maria fuerit ab originali peccato immunis, nisi quatenus amplius honoretur et exaltetur; sed non omnis honor imaginabilis est sibi attribuendus, alias deceret, ut nec ipsa conciperetur ex semine nec per concubitum maris et feminae, quod tamen non est dicendum: ergo nec iste falsus honor est sibi attribuendus, quod fuerit sine originali concepta, praesertim cum sufficienter honoretur ex aliis privilegiis sibi sufficienter concessis.

8. Praeterea, maior est Dei misericordia in iustificando impium et gratiam impio conferendo, quam in influendo gratiam non exsistenti in peccato; sed Deus misericordissime se habuit erga beatam Virginem: ergo videtur, quod Deus eam in aliquo peccato invenerit.

9. Praeterea, magis tenetur ad gratiarum actionem peccator, qui per gratiam relevatur quam qui innocens tenebatur, sicut dicunt multi doctores; sed beata Virgo summe tenetur ad gratiarum actionem et debuit teneri: ergo decuit, ut fuerit in originali concepta.

[1] V. 7.

[2] I *Comment. in Matth.* 1, 3.

10. Praeterea, quamvis sit congruum, quod Virgo Maria in illa hora, qua Christum concepit, fuerit summe munda et sancta, non tamen necesse est et condignum, ut semper fuerit munda: ergo videtur, quod esse potuit in originali concepta absque hoc, quod detrahatur ipsius sanctitati aut dignitati Christi.

11. Praeterea, sancti doctores in expositione scripturae et traditione veritatis catholicae epistolis quorumcumque, etiam summorum pontificum, praeferuntur, ut habetur in *Decreto*, d. 20 capite 1 [1]; sed omnes sancti videntur sentire, eam in originali peccato fuisse conceptam, ut supra [2] allegatum est: ergo hoc videtur adeo esse tenendum, ac si summus pontifex vel romana ecclesia determinasset.

12. Praeterea, «non licet scripturas ad sensum trahere repugnantem», secundum Hieronymum in *Epistola ad Paulinum* [3]; sed omnis sensus, quo sanctorum auctoritates trahuntur ad alium sensum quam ad hunc, quod fuerit in originali concepta, videtur eorum intentioni et superficiei litterae repugnare: ergo non est aliter sentiendum aut praesumendum exponere.

13. Praeterea, totum motivum, quo ista sententia de praeservatione beatae Virginis a peccato originali fulcitur, in hac ratione consistere videtur, quod Deus hoc facere potuit, et si potuit, decuit, et si decuit, factum fuerit; sed haec ratio videtur frivola et inanis, tum quia dubium est, utrum hoc facere potuerit de potentia ordinata, quia non potuit ordinato suo privilegio derogare; tum quia evidenter falsum est, quod decuerit, ut supra [4] ostensum est, tum quia a simili probari posset, quod Christus passus non fuerit, quia certum est, quod Deus potuit eum a morte praeservare; et si potuit, decuit, et si decuit, factum fuit; tum quia constat, quod Deus posset multa facere, quae non decent, ut mundum annihilare, quemlibet hominem episcopare, immo et hominem iustum quemlibet, etiam Virginem gloriosam, damnare de potentia absoluta; tum quia, ut superius [5] dictum est, per istam rationem probari posset, quod fuerit Virgo Maria concepta sine virili semine et de virgine et de omni alia insigni

[1] Scilicet I part. [2] Pag. 25 sqq. [3] Epist. 53 (alias 103) n. 7.
[4] Pag. 33 n. 6 sqq. [5] Pag. 33 n. 7.

conditione, quae reservata est quodam singulari privilegio ipsi Christo: ergo, ut videtur, inanis est haec ratio et vana conclusio.

14. Praeterea, manente causa, manet effectus, et posita causa, necesse est poni effectum; sed maritalis amplexus et libido concubitus, ratio seminalis et concupiscentia in concubitu, haec omnia videntur esse causa, quod aliquis concipiatur in originali peccato; quae in conceptione Mariae penitus concurrerunt: ergo videtur, quod habuerit peccatum.

15. Praeterea, legi generali non detrahitur nisi per privilegium, nec iura naturae debent censeri fuisse mutata, nisi per scripturae testimonium exprimatur; sed in scriptura vel in dictis sanctorum non legitur hoc privilegium Mariae quoad sui conceptionem concessum: ergo, quantum ad hoc locum habet in ea lex communis conceptionis aliorum.

In hoc igitur primum capitulum terminetur.

Capitulum II.

In quo ponuntur quaedam distinctiones et punctus inquirendus.

Verum, quia nominum multiplicitas et aequivocatio plerumque parit opinionum dissonantiam et obnubilat veritatem, idcirco ad evidentiam eius, quod hic inquiritur, distinguendum est de tribus nominibus, quibus utimur in praesenti quaesito, videlicet de nomine conceptionis, de originali peccato et contractu ipsius.

Nempe **conceptio** tribus modis accipitur, primo equidem pro seminis conceptione iuxta illud ad Hebraeos 11 [1]: *Sara sterilis virtutem in conceptu seminis accepit;* et illud Iob 14 [2]: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* et illud Genesis 38 [3]: *Ad unum coitum concepit mulier;* et illud II Regum [4] de Bethsabee, *uxore Uriae, quae cum ingressa esset ad David, dormivit cum ea, et reversa est in domum suam, concepto fetu.*

[1] V. 11. [2] V. 4. [3] V. 18. [4] 11, 3 sqq.

Secundo vero sumitur pro formatione seu formati corporis figuratione et lineatione, iuxta illud Sapientiae[1]: *In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus in sanguine ex semine hominis et delectamento somni conveniente.*

Tertio vero sumitur pro infusione animae rationalis, quae quidem secundum Augustinum[2] exponentem illud, quod scribitur Ioannis[3]: *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in triduo reaedificabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui,* in masculo infunditur quadragesima sexta die a seminis conceptione, quamvis secundum philosophos[4] in masculo quadragesimo die, in femina vero octogesimo infunditur. Et ad hoc refertur illud, quod dicitur de conceptu Rebeccae Genesis 25[5]: *Dedit Deus conceptum Rebeccae, et collidebantur parvuli in utero eius.* Et, quoniam ab ante usque ad illam horam, qua anima infunditur, fetus non dicitur proprie animatus aut homo, idcirco secundum veritatem in ipsa hora infusionis proprie dicitur concipi homo, quamvis conceptionis vocabulum secundum communem et vulgarem modum loquendi maxime dicatur de seminis conceptione.

Originale vero **peccatum** sumitur etiam tribus modis: aliquando quidem pro suo causali, quod non est aliud quam libidinosa seminis et immunda conceptio, iuxta illud Psalmi[6]: *Ecce, in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea;* et illud Iob superius allegatum: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Secundum enim Anselmum hic sumitur conceptio seminis; unde quaerit *De conceptu virginali,* c. 7[7]: « Cum peccatum non sit nisi in rationali voluntate, nullo modo in semine, quomodo verum est quod dicit Iob de eo: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Et, quomodo verum est quod dicit David: *In iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea* »? Et respondendo subdit, « quod saepe divina scriptura dicit, aliquid esse, quod modo non est, idcirco, quia tamen est

[1] 7, 1-2. [2] *De 83 quaest.,* q. 56.
[3] 2, 20-21. [4] Cf. e. g. Arist., VII *De historia animal.,* c. 3.
[5] V. 21. [6] 50, 7. [7] P. L. 158, 440 sq.

futurum esse». Unde «hoc modo de immundo semine et in iniquitatibus concipi potest intelligi, non quod in semine immunditia sit peccati aut peccatum sive iniquitas, sed quia ab ipso semine et ipsa conceptione accipit homo necessitatem, ut, cum habeat animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quae non est aliud quam iniquitas et peccatum. Nam, etsi vitiosa concupiscentia generetur infans, non tamen magis est in semine culpa, quam in sputo vel sanguine». Deinde inquirendo subinfert: «Patet igitur, quomodo in infantibus non statim sit ab ipsa conceptione peccatum, et vera sint quae dicit scriptura: *In iniquitatibus conceptus sum*, quippe non est in illis peccatum, quia voluntatem non habent; et tamen inesse dicitur, quoniam in semine trahunt, cum homines iam erunt, necessitatem peccandi».

Aliquando autem originale peccatum sumitur pro suo materiali, quod quidem est duplex: unum siquidem privativum, videlicet privatio seu nuditas iustitiae originalis iuxta illam definitionem Anselmi, quae colligitur ex multis capitulis in libro *De conceptu virginali* [1]: Originale peccatum est carentia seu nuditas iustitiae cum debito habendi eam. Est vero aliud positivum, scilicet rebellio habitualis, ex qua consurgit pugna et rebellio actualis, quae quidem rebellio non solum est in membris deputatis ad generationem et respectu delectationum carnalium, immo etiam in omnibus instrumentis sensuum interiorum et exteriorum, et universaliter, ubicumque est appetitus sensitivus, quae quidem rebellio est causa pronitatis ad malum respectu omnis materiae virtuosae. Et ista rebellio multis nominibus nuncupatur; vocat eam tyrannum Augustinus, libro II *De baptismo parvulorum*, et in libro *De nuptiis et concupiscentia* [2], dicens, quod «in nobis est concupiscentia, quae non est permittenda regnare; sunt et eius desideria, quae sunt concupiscentiae actuales, quae sunt arma diaboli provenientia ex languore membrorum; languor enim tyrannus est, qui movet desideria mala». Vocat autem eam legem membrorum apostolus ad Romanos 7 [3], ubi dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Unde septem sunt nomina, quibus consuevit rebellio nomi-

[1] C. 3 et c. 5. [2] Potius *De continentia*, c. 3 n. 8; et Sermo 30, c. 5 n. 6. Cfr. Petrus Lomb., l II d. 30 c. 8. [3] V. 23.

nari, quae Magister sententiarum ponit per ordinem libro II d. 30[1] quaerens, quid originale peccatum dicatur, et respondet, quod fomes peccati, concupiscentia, cupiditas, lex membrorum, languor naturae, tyrannus, qui est in membris nostris, lex carnis. Hanc rebellionem vocat peccatum apostolus ad Romanos[2] dicens: *Concupiscentiam nesciebam* esse peccatum, *nisi lex diceret: Non concupisces;* et ibi: *Non iam ego operor malum, quod odio, sed illud* operatur, *quod habitat in me peccatum;* et ibi: *Video legem captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Propter hanc etiam rationem caro nostra appellatur *caro peccati* et *corpus peccati* ab eodem apostolo. Ex quo evidenter colligitur, quod huiusmodi turpitudo vitium est et peccatum; certum est autem, quod non est peccatum formaliter; ergo materialiter tantum.

Aliquando autem originale peccatum sumitur pro suo formali; voluerunt enim aliqui dicere, quod non esset formaliter culpa vel Dei offensa, qua videlicet vel puer esset culpandus formaliter, vel oculi divinae maiestatis offenderentur, sed quod esset nisus quidam, obligatio et reatus et obnoxietas atque addictio ad poenam temporalem, quae est fames, sitis, mors et similia, et ad poenam aeternam, quae est carentia divinae visionis. Sed hoc contradicit aperte sententiae apostoli, qui dicit, *omnes natura fore filios irae,* ad Ephesios 2[3], et *vasa divinae iracundiae,* ad Romanos 9[4]. Clarum est autem, quod Deus non offenditur nec irascitur nec odit nisi culpam et illud, quod est formaliter iniquitas, peccatum et offensa, iuxta illud prophetae[5]: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es;* et David[6]: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem.* Quare restat, quod peccatum originale non sit aliud formaliter quam esse in Deo offensa ac ira et odium. Unde proprie dici posset, quod originale peccatum est originalis rebellio, prout est offensiva maiestatis divinae, ut quod praemittitur: *originalis rebellio* se teneat ex parte materiae, quod vero subditur: *offensa divinae voluntatis* se teneat ex parte formae.

1. Sed his, quae dicta sunt, obviare videtur, quod nullum naturale peccatum est nec formaliter nec materialiter; re-

[1] C. 8. [2] 7, 7; 15; 23. [3] V. 3.
[4] V. 22. [5] Ps. 5, 5. [6] Ps. 44, 8.

bellio autem est aliquid homini naturale, nam natura sequitur carnis complexionem: ergo ipsa non pertinet ad originale peccatum.

2. Praeterea, peccatum originale est aequale in omnibus hominibus; sed rebellio non est in omnibus aequalis, immo minui dicitur secundum complexiones materiales minus calidas: ergo non videtur pertinere ad peccatum originale.

3. Adhuc, peccatum nihil est secundum Augustinum, *Super Ioannem* [1]; et peccatum nulla essentia est, prout dicit Anselmus, *De conceptu virginali*, c. 5 [2]; cum igitur habitualis rebellio sit aliquid reale, videtur, quod non sit aliquo modo peccatum.

4. Amplius, ista rebellio vel est ipsa complexio vel complexionalis qualitas carnis vel proprietas consequens ipsam complexionem: non est ergo pertinens ad peccatum.

5. Item, respectu eiusdem formalis non debet poni nisi unum formale; sed carentia originalis iustitiae est materiale in peccato originali, ut dictum est: ergo rebellio materiae non pertinet ad ipsum.

6. Rursum, in baptizatis non remanet originale peccatum nec aliquid pertinens ad ipsum, ut videtur, nisi forte per modum poenae, ut mors, sitis et fames; remanet autem in baptizatis rebellio: ergo non est pars aut materia originalis peccati, sed magis poena, effectus et sequela.

7. Praeterea, « voluntarium adeo coniunctum est peccato, ut nullo modo peccatum sit, nisi fuerit voluntarium »; sed ista rebellio non subiicitur voluntati, immo nec actus eius primi, cum non sit in potestate nostra, quominus eis tangamur, secundum Augustinum [3]: ergo ista rebellio peccatum non est nec Dei offensa. Unde irrationabiliter Deus offenditur, irascitur et detestatur ac horrescit infantem, in quo turpitudo naturaliter invenitur, cum de his, quae a natura insunt, nec laudemur nec vituperemur; nullus enim increpat turpes aut caecos per naturam, sed eos, qui propter desidiam et sui inexercitationem et negligentiam facti sunt turpes et caeci per vini potationem vel aliam incontinentiam, sicut dicit Philosophus, III *Ethicorum* 10 [4].

[1] *Tract.* 2 *in Ioan. Evang.*, n. 13. [2] P. L. 158, 438.
[3] I *Retract.*, c. 13 n. 5 et *De vera relig.*, c. 14 n. 27. [4] Alias 13.

8. Praeterea, omne peccatum est in voluntate aut in anima rationali, ut dicit Anselmus, *De conceptu virginali* c. 7 [1]; ista autem rebellio est in appetitu sensitivo et in carne: non igitur pertinet ad peccatum.

9. Praeterea, peccatum originale non fuit in Adam, sed tantum actuale; sed in Adam fuit ista rebellio secundum illud scriptum Genesis 3 [2]: *Aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt, se esse nudos, et consuentes folia ficus fecerunt sibi perizomata:* ergo videtur, quod hoc non sit originale peccatum.

Non obstantibus tamen his, dicendum est illud quod prius. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod quidditas originalis peccati declarari potest in ordine ad se ipsum, et sic non est aliud quam quaedam inclinatio vitiosa, quae principaliter est in appetitu sensitivo, videlicet rebellio et reluctatio ad rectam rationem, quae sicut manus paralytici est inobediens et reluctans, et dum eligitur moveri ad dexteram, prave fertur in sinistram, secundum Philosophum in fine I *Ethicorum* [3]. Ex consequenti autem est in voluntate et appetitu intellectivo; nam appetitus trahit appetitum, sicut rota trahit rotam, secundum eundem in III *De anima* [4]. Et inde consurgit, quod *sensus hominis et cogitatio humana prona sunt ad malum ab adolescentia sua*, ut dicitur Genesis 8 [5]. Oritur autem ista pronitas ad malum et difficultas ad bonum ex quibusdam delectationibus complantatis in appetitu sensitivo impellentibus respectu delectabilium obiectorum excessive et ultra rationem, et ex tristitiis retrahentibus respectu actuum virtuosorum. Huiusmodi autem delectationes et tristitiae habituales non sunt aliud quam quaedam dispositiones et qualitates vitiosae. Non enim sunt id ipsum, quod appetitus sensitivus, quod patet ex multis: primo quidem, quia in virtuosis hominibus per exercitium et assuefactionem in bonis actibus minuuntur et tamen non minuitur substantia appetitus; secundo, quia in glorificato corpore non erunt huiusmodi habituales tristitiae vel delectationes, tamen erit appetitus; tertio quoque, quia intenduntur in prave viventibus et vitiosis. Non

[1] P. L. 158, 440 sq. [2] V. 7. [3] C. 13. [4] C. 10 sq. [5] V. 21.

autem sunt etiam consequentes de necessitate naturam, quin separari possint propter easdem rationes. Sequuntur tamen naturalem complexionem sibi relictam, sicut frigiditas aquam consequitur, et tamen potest separari ab ipsa.

Sed, tunc surgit dubium: quomodo erit dispositio vitiosa, cum nullum naturale sit vitium? Et sine dubio, si in homine non esset ratio nec intellectiva apprehensio, sed superior apprehensio et iudicium, quod esset in eo, esset iudicium sensitivum, tunc non videretur esse aliquod vitium vel peccatum, quia vitium est corruptio naturae, IX *Metaphysicorum* [1], et peccatum est illud, quod est praeter naturam, II *Physicorum* [2]. Unde nullus habitus dicitur vitiosus, nisi in quantum est disconveniens et corruptela naturae, in qua est. Et propter hoc in brutis delectationes istae vitiosae non sunt, quia sunt animalia tantum; in homine vero, quia non est tantum animal, sed animal rationale, et est in ipso iudicium rationis, delectationes istae vitium sunt pro eo, quia suae propriae naturae disconveniunt. Quidquid enim est praeter rationem, est praeter naturam hominis, cum homo sit solum intellectivus maxime et principaliter, secundum Philosophum, IX *Ethicorum* [3].

Potest etiam declarari in ordine ad suum oppositum; originale enim peccatum opponitur originali iustitiae, quae nihil aliud fuit in statu innocentiae in parentibus primis, quam quaedam habitualis delectatio et tristitia omnino opposita praedictis delectationibus et tristitiis vitiosis, ex quibus consurgebat summa pronitas ad bonum et difficultas ad malum. Unde, sicut post naturam lapsam homines ad malum proni sunt et ad bonum difficiles, sic per oppositum in natura instituta proni erant ad bonum et difficiles ad malum; et ex huiusmodi delectationibus proveniebat concordia et obedientia appetitus sensitivi et voluptatis ad rectam rationem; propter quod appellabatur merito iustitia, rectitudo et aequitas. Et hinc est, quod nudi parentes primo non erubescebant, quoniam in eis nihil erat turpe, nihil obliquum. Quia vero consequeretur quemlibet hominem ab origine et a natura huius-

[1] C. 9 text. 19 sec. sensum; August., *Enchir.*, c. 12 n. 4.

[2] Cfr. text. 49 sqq. (c. 5 sqq.).

[3] C. 9: «Vivere autem nihil aliud esse quam sentire vel intelligere praecipue et proprie videtur».

modi pulcritudo, idcirco dicitur originalis iustitia; iustitia enim dicitur propter concordiam ad rectam rationem, originalis vero, quia originem sequens.

Ubi considerandum est, quod istae duae dispositiones delectationum et tristitiarum oppositarum, quarum una est in natura prostrata, quam modo gestamus, altera vero in primis parentibus et in natura instituta, sic se habent ad naturam hominis simpliciter consideratam, quod una, videlicet vitiosa, est naturalis homini, in quantum est animal, et efficienter, quia ex complexione consurgit, et formaliter, quia apprehensioni sensitivae et iudicio congruit, sicut et frigiditas aquae congruit et oritur ex principiis eius. Altera vero, videlicet quae fuisset in homine, si permansisset, erat quidem homini simpliciter considerato naturalis et congruens, in quantum homo formaliter, utpote inclinans secundum rectam rationem, non tamen efficienter [1], quia non oriretur ex principiis hominis, in quantum homo, sed daretur effective a Deo. Licet igitur dispositio vitiosa non sit homini naturalis, in quantum homo, tamen hominem sequitur sibi ipsi derelictum; et e converso, licet altera dispositio virtuosa institutae naturae sit naturalis et congruens homini in quantum homo, non tamen ipsum sequitur sibi ipsi derelictum, sed oportet, quod donetur a Deo. Secundum aliquos quidem daretur cuilibet puero, dum generaretur, sicut et anima continue infunditur a Deo; sed magis probabile videtur, quod primo Adae data erat vis transfundendi activa, qua non solum caro pueri generaretur, immo etiam illa qualitas virtuosa in carne; talis enim qualitas non apparet, cur non possit subesse alicui virtuti et activitati naturalis agentis.

Potest etiam tertio declarari natura originalis peccati in ordine ad subiectum, quod quidem secundum aliquos est voluntas; dicunt enim, quod est in voluntate rebellio ad rationem, sicut et in appetitu sensitivo, ex qua voluntas est ad bonum difficilis et ad malum proclivis; quam quidem infectionem anima trahit ex coniunctione ad carnem infectam in primo instanti suae infusionis. Quod quidem stare non potest, tum quia non apparet, a quo causetur ista rebellio in ipsa voluntate, non enim a Deo, cum Deus creat ipsam

[1] Alii *efficaciter*.

animam rectam, nec a carne, cum nihil imprimat in animam effective; tum quia voluntas non habet huiusmodi rebellionem, immo complacet in bono rationis naturaliter, iuxta illud apostoli ad Romanos 7 [1]: *Lex mihi volenti bona est, condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem;* et illud [2]: *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odio malum, hoc facio.* Et Philosophus dicit VIII *Ethicorum* [3], quod volumus omnes quidem bona, eligimus autem nequaquam; ex quo apparet, quod voluntas etiam nunc in natura prostrata non rebellat ad rectam rationem, immo naturaliter complacet in bono rationis; sed tota rebellio oritur ex appetitu sensitivo voluntatem contrahente.

Propter quod dicunt alii, quod est originale peccatum in voluntate subiective, non quia sit aliquid positivum, sed quia est mera privatio et carentia iustitiae originalis, quae quidem erat in voluntate quidam habitus dominativus, quo in plena obedientia poterat voluntas appetitui dominari et ipsum coercere, ne moveretur contra rationem nec praeveniret ipsam. Et quia habitus et privatio sunt in eodem subiective, necesse est, quod privatio istius habitus sit in voluntate, et hoc est originale peccatum; et tunc non est difficultas, quomodo anima ex coniunctione cum carne contrahat originale. Non enim contrahit aliquid positivum, sed quia caro immunda indigna est, quod anima copulata cum ea habeat habitum praedictum, idcirco contrahit privationem illius, et ita originale peccatum.

Sed hoc stare non potest, tum quia apostolus ad Romanos 7 [4], ubi tractat istam materiam de peccato originali, nulla habita mentione de privatione tali, concupiscentiam existentem in carne et *legem membrorum* nominat aperte *peccatum;* tum quia Augustinus in libro II *De baptismo parvulorum* [5], ubi tractat istam materiam, nihil aliud dicit esse peccatum nisi « carnis inobedientiam », quae vocatur « peccatum habitans in membris nostris »; tum quia in voluntate non fuit

[1] V. 21 sq.: *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.* [2] V. 19.
[3] C. 2: « Amat unusquisque non quod ipsi bonum est, sed quod apparet »; et c. 13 (alias 15): « Volunt quidem honesta omnes aut plerique, sed utilia tamen diligunt ». Et II *Moral. Eudem.* c. 10 habet: « Deliberativa enimvero omnes, quae eligimus, eadem volumus, nec tamen quae volumus, omnia eligimus ». [4] V. 20. [5] C. 22 n. 36.

iustitia originalis subiective; nam obedientia non est subiective in praccipiente, sed in obediente. Erat autem originalis iustitia obedientia partis inferioris ad voluntatem et rationem, sicut ibidem [1] dicit Augustinus; alioquin, si in voluntate fuisset coercitivus habitus respectu appetitus, violentaretur ab ipsa, et non se haberet tantum imperative voluntas.

Propter quod dicendum, quod originalis iustitia obedientiam includit totius appetitus, et ibi erat subiective; quare et peccatum originale, quod est inobedientia, erit subiective in ipso; est tamen in voluntate attractive, in quantum trahitur voluntas ad rebellandum rationi propter coniunctionem cum appetitu rebellante. Quia vero obedientia et inobedientia opposita sunt, — sive sint actuales sive habituales, — idcirco originalis iustitia et iniustitia opposita sunt et contraria. Contrarium autem unum se habet per modum dignioris et per modum habitus, alterum vero per modum privationis et minus digni, sicut calor et albedo sunt habitus, frigiditas autem et nigredo sunt privationes. Ex quo sequitur, quod originalis iustitia sit quasi habitus, originalis vero iniustitia privatio eius; et in hoc intellectu verum est, quod communiter dicitur, peccatum originale esse privationem, non quin sit aliquid positivum, ut dictum est.

Potest etiam declarari natura originalis peccati in ordine ad Deum, respectu cuius est imputabilitas, offensa et culpa. Imputat enim Deus huiusmodi rebellionem ad offensam et culpam naturae, quam invenit a primo homine propagatam. Quod, quamvis iniquum et irrationabile videatur, tum quia non est in potestate pueri sine ipsa nasci, tum quia non est a voluntate et libertate et ex proprio motu, quae videntur exigi ad hoc, quod aliquid sit offensa et culpa, nihilominus hoc rationabiliter et iuste fit propter multa: primo quidem, quia propter peccatum principis [2] iuste offensa procedit, immo et poena contra unam communitatem, sicut apparet in humanis. Cum ergo primi parentes fuerunt quasi principes et capita totius humanae multitudinis, non est iniustum, quod eorum culpa et turpitudo ac rebellio divinae maiestatis offensiva in multitudinem totius generis derivetur. — Secundo vero, quia secus est de peccato et offensa personae et de offensa naturae

[1] Et c. 23 n. 37 sec. sensum. [2] Sess. *principio.*

unius vel generis vel nationis. Licet enim ratione personae nullus iuste offendatur nisi propter peccatum personae, potest tamen unum genus vel una natio iuste odiri propter peccatum excessivum alicuius notabilis personae de illo genere. — Tertio vero, quia etiam conditio naturalis aliquarum nationum est displicibilis propter hoc, quia turpis est aut dissona rationi; et idcirco rebellio, quae invenitur in hominibus obvia rationi, non est mirum, si quantum est ex se, odibilis sit Deo, esto, quod non sit a propria voluntate. — Quarto vero, quia non oditur directe Socrates vel Plato vel quilibet singularis homo alius, sed oditur ipsa natura tota. Licet autem odium personae exigat voluntatem et assensum ipsius, non tamen offensa naturae; sed contrahitur per voluntatem totius naturae et assensum ipsius. Tota enim natura potest accipi vel numeraliter et divisim, et sic est in protomartyre Stephano et cunctis hominibus; vel originaliter et virtualiter et coniunctim, et sic fuit in Adam et in Eva. Quapropter ex consensu ipsius in peccatum fuit tota natura consentiens in ipsum, et ideo turpitudo illa et rebellio merito imputatur ad iram et odium et offensam respectu totius naturae. — Quinto vero, quia huiusmodi offensa et culpa non imputatur a Deo puero et infanti usque ad aliquam poenam sensus, ignis vel alias afflictivam, sed usque ad privationem visionis divinae; et quia ex nulla iustitia visio Dei debetur naturae humanae; voluerat autem et proposuerat se daturum toti naturae et generi Adae, si Adam eius praeceptum servasset et illam rectitudinem habitualem, de qua supra dictum est. Nullam ergo iniquitatem facit, si non servata ab Adam illa conditione, aufert donum suae visionis toti generi, cui daturum se proposuerat, ipsa conditione servata. Et secundum hoc non est aliud, Deum odire puerum propter huiusmodi habitualem rebellionem et turpitudinem, nisi quia non reputat ipsum dignum nec competenter ornatum ad ingrediendum istam familiaritatem, quam habent, qui eius aspectu et visione fruuntur.

Ex praedictis ergo potest originalis peccati aliqualis definitiva notificatio formari, ut dicatur, quod est habitualis rebellio appetitus sensitivi universaliter ad rectam rationem, privativa iustitiae et obedientiae eiusdem appetitus a Deo primis parentibus generose collatae, offensiva, displicens et odibilis divinae maiestati, cuius notificationis intelligentia patet ex praedictis.

Ad 1 ergo eorum, quae obiiciebantur superius, dicendum, quod haec rebellio non est naturalis homini, in quantum homo formaliter, quasi congruens rationi hominis, per quam est homo, sed tantum effective et causaliter; nam oritur ex complexione ipsius derelicta sibi ipsi, et quia natura propria sponte in Adam privavit se opposito, quo inexistente, nullatenus haec rebellio oriretur; ideo sibi imputatur ad culpam.

Ad 2 dicendum, quod rebellio non est aequalis in omnibus hominibus; imputabilitas tamen in omnibus est aequalis, et ita originale quoad suum formale aequale remanet, licet non quoad materiale.

Ad 3 dicendum, quod peccatum est nihil aliud formaliter, quam privatio; et sic rebellio, in quantum peccatum, formaliter est privatio rectitudinis eo modo, quo unum contrarium aliud privat; materialiter tamen omne peccatum est aliquid positivum, cum in aliquo reali fundetur.

Ad 4 dicendum, quod rebellio non est ipsa complexio, sed est proprietas ipsam consequens, etiam naturaliter, et tamen imputatur ad culpam propter rationem iam datam.

Ad 5 dicendum, quod rebellio et privatio originalis iustitiae incidunt in idem, sicut frigiditas, et privatio caloris; propter quod non sunt nisi unum materiale respectu offensae.

Ad 6 dicendum, quod in baptizatis remanet rebellio et carentia originalis iustitiae, non tamen imputabilitas vel Dei offensa, quia Deus libere potest offensam suam remittere et donare, sicut et homo alii homini libere donat offensam. Est autem considerandum, quod peccatum, vitium, offensa et culpa, etsi sint idem realiter, tamen ratione et formaliter distinguuntur. Nam vitium et peccatum dicitur in ordine ad naturam, in qua est, cum non sit aliud quam privatio et corruptela naturae [1]; et ideo rebellio, in quantum privatio originalis rectitudinis, dicitur peccatum, quia secundum hoc est disconveniens naturae humanae, qui est homo per rationem, ut supra [2] dictum fuit, offensa vero addit super huiusmodi corruptelam respectum ad Deum, cum sit displicentia Dei, et idem est de odio et ira. Unde rebellio illa offensa dicitur, in quantum non complacet, immo displicet Deo; culpa vero addit respectum ad poenam; nam poena et culpa rela-

[1] Cf. August., *Enchir.*, c. 11 n. 3 et c. 12 n. 4. [2] Pag. 41 not. 3.

tive dicuntur, et ideo rebellio ista culpa dicitur, in quantum meretur privationem divinae visionis.

Ad 7 dicendum, quod originale peccatum voluntarium est in ordine ad totam naturam in Adam existentem virtualiter et coniunctim; et idcirco est vitium naturae, non singularum personarum.

Ad 8 dicendum, quod peccatum originale est in appetitu sensitivo, qui constat ex anima et corpore; unde non est in anima praecise sumta, sed in toto coniuncto, quia rebellionis non est sola anima subiectum vel caro, sed utrumque coniunctum; ex quo apparet, quomodo transfunditur per generationem. Quod autem additur, in ratione: « omne peccatum est in voluntate », dicendum, quod vel est in voluntate per essentiam vel per participationem. Nunc autem appetitus sensitivus subest voluntati iuxta illud Genesis 4 [1]: *Sub te erit appetitus tuus:* ideo in tantum participat de voluntario, quod potest in eo esse peccatum et originale et actuale.

Ad 9 dicendum, quod fuit in Adam utique ista rebellio offendens etiam oculos divinae maiestatis, et per consequens peccatum originale quoad totam suam substantiam; non tamen meruit dici originale, quia a creatione et origine ipsum non habuit, sed fuit poena inobedientiae, quod contra divinum mandatum venit.

Nunc tertio distinguendum est de vocabulo isto **contrahere.** Dicitur namque peccatum originale contrahi aliquando *de iure,* et sic contrahit omnis, qui per viam propagationis et seminis ab Adam libidinose descendit. Quia enim in actu generationis est motus libidinosus excessivus et obvius rationi, procedens a rebellione habituali, quae est peccatum originale remanens in omnibus hominibus etiam post baptismum, quamvis non remaneat quantum ad imputabilitatem et offensam et culpam, ideo similis rebellio transfunditur in prolem; quae quidem proli imputabatur ad offensam et culpam, tum quia generanti non erat culpa remissa nisi personaliter et pro se ipso tantum, tum quia culpa illa naturae est totius. Non autem donatur culpa toti naturae, sed cuilibet singulariter in se ipso. Aliter autem contrahi dicitur etiam *de facto,* unde non est impossibile, quod aliquis deberet contrahere de

[1] V. 7.

iure, et tamen praeservante Deo et praedonante offensam non incurrat de facto. Potest etiam dici, quod aliquis contrahat peccatum originale ex necessitate naturae, utpote quia taliter generatus, et tamen non contrahit ex gratia speciali, et talis si poneretur, esset *natura filius irae* [1], sed de gratia liberatus. Potest etiam contractus originalis peccati referri ad necessitatem contrahendi, ut dicatur ille contrahere, qui habuerit necessitatem contrahendi, aliquando vero pro ipso contractu.

Ex praedictis colligitur evidenter punctus quaestionis. Si enim quaeritur de conceptione seminis, clarum est, quod fuit Virgo Maria in originali concepta, accipiendo originale pro suo causali et pro necessitate contrahendi et sic currunt omnes auctoritates illae: *In peccatis concepit me mater mea, et in iniquitatibus conceptus sum*, et similes, sicut supra [2] patuit per Anselmum. Si vero quaestio currat de conceptione tertio modo dicta, id est de infusione animae rationalis, tunc est aliquid certum et aliquid dubium, aliquid determinatum et aliquid disputabile et nondum determinatum. Quod enim ipsa contraxerit rebellionem et originale peccatum et fuerit filia irae et vas iracundiae *de iure* et quantum erat ex natura et ex necessitate contractus, nulli fideli dubium esse debet, quin fuerit ita, pro eo, quod concupiscibiliter generata exstitit ex concubitu maris et feminae, sicut et ceterae mulieres. Sed quod fuerit sic *de facto*, dubium est et disputabile ac incertum, et hic est punctus inquisitionis praesentis. Videtur enim horrendum piis auribus et animis devotis, quod unquam beata eius anima filia irae fuerit aut in odio Dei, ita quod fuerit displicens ac detestabilis oculis divinae maiestatis.

Si vero currat quaestio de conceptione secundo modo sumta, tunc dicunt aliqui, quod tempore formationis corporis et aedificationis seminis in corpus muliebre, quod quidem tempus a conceptione seminis usque ad infusionem animae duravit, fuit illa materia [3] purgata a morbida qualitate et impuritate omnimoda, ut in hora infusionis anima mundo corpori uniretur. Et, quia haec purgatio in ipsamet die conceptionis seminis facta fuerit, ideo potest celebrari illa dies,

[1] Eph. 2, 3. [2] Pag. 29 not. 3. [3] Ass. *fuit ipsa natura.*

habendo respectum ad istam mundationem. — Sed hoc stare non potest, tum quia obviat Anselmo dicenti, *De conceptu virginali*, c. 7 [1], quod « non est in semine aliquid magis mundabile, quam in sanguine vel in sputo »; tum quia non appareret, quae qualitas morbida sit in semine aut in materia illa. Non enim est illa qualitas rebellio habitualis sive concupiscentia, quia nondum est animata; haec autem non sunt alibi quam in anima subiective; nec potest poni aliqua corporea, foetida et immunda qualitas, cum sit « superfluum ultimae digestionis [2] »; unde est humor purior inter humores corporales; nec potest poni, quod sit aliqua virtus continens rebellionem effective; nam virtus formativa, quae est in semine, sicut complexionem et carnem continet virtualiter, sic continet illam rebellionem, quae est proprietas complexionis et carnis; quare non videtur materia illa purgatione aliqua indigere.

Relinquitur igitur, quod tantum currat quaestio de hora infusionis animae: an tunc ex unione ad carnem contraxerit Dei offensam, odium, culpam et iram, aut fuerit creata in gratia et Dei amore sic, quod numquam odita fuerit a dilecto Filio suo?

Et hic est punctus quaestionis, in quo capitulum secundum finitur.

Capitulum III.

In quo probatur, quod Deus de potentia ordinata potuit Virginem praeservare, ne originale contraheret.

Quaestionis itaque intellectu praemisso, restat inquirere, utrum Deus potuerit animam beatae Virginis, ne originale contraheret, in hora infusionis animae, de potentia absoluta et sua omnipotentia praeservare. Et indubitanter dicendum, quod sic; immo tenens quod non, vel de hoc dubitans, incidit in articulum de divina potentia, quo dicitur: « Credo in Deum Patrem omnipotentem ». Maioris enim potentiae est Deus in parcendo et offensam propriam dimittendo, quam sit homo aut aliqua alia rationalis creatura. Sed homo potest offensam et culpam in eum commissam remittere et donare liberaliter, etiam

[1] Migne, P. L. 158, 441. [2] Aristot., I. *De generat. animal.*, c. 18.

pro quocumque instanti; ergo et Deus donare potuit culpam, quam contraxisset anima Virginis in instanti unionis cum carne.

Praeterea, duorum agentium sese excedentium in virtute, si ambo simul agere incipiant in idem passum, illud, quod est potius [1] in virtute, vincit et trahit ad se passum; sed virtus divina potior est ad gratiam infundendam, quam caro infecta ad Virginis animam inficiendam: ergo, si in instanti, in quo infundebatur anima Virginis, Deus agebat ad gratificandum, caro vero ad inficiendum per culpam, virtus divina tanquam infinita traxisset ad se animam et vicisset, ita ut esset sub gratia et nullo modo sub culpa. — Et confirmatur haec ratio de duobus adamantibus trahentibus idem ferrum, in medio amborum aeque distanter exsistens; vincit enim ille, qui est potentioris virtutis, et trahit ad se totaliter ferrum.

Amplius, Deus potest suspendere actionem cuiuslibet agentis naturalis; potuit enim praeservare tres pueros ab incendio in fornace ardenti, Danielis 3 [2], unde sua omnipotentia potest ignem, ne stuppam comburat appositam, impedire: sed virtus formativa se habet per modum agentis naturalis in generando carnem et imprimendo rebellionis maculam in carne animata pro instanti, quo infunditur anima: ergo potest Deus pro eodem instanti activitatem istam suspendere, ne imprimat concupiscentiam in carne animata.

Rursum, duorum effectuum realiter distinctorum Deus potest unum et maxime posteriorem ab alio separare; sed in generatione et caro gignitur et caro animatur, et concupiscentia inseritur toti animato: ergo Deus duo prima potuit facere, videlicet, quod caro generetur et infundatur anima, et nequaquam concupiscentia inseratur.

Adhuc, si id, quod minus videtur inesse, inest, etiam id quod magis; sed minus videtur inesse, quod agens naturale sua virtute praeveniat effectum naturalem, ne sit in primo instanti sub proprietate sibi debita; et tamen hoc facere potest, sicut patet de aqua, quae, cum sit naturaliter frigida, potest tamen in primo instanti fieri non frigida et calida generari, ut patet in naturalibus balneis; et similiter lapis, cui debetur naturaliter locus deorsum, potest nihilominus in primo instanti fieri et generari sursum, sicut in grandine ad oculum

[1] Ass. *fortius*.

[2] V. 49 sqq.

videtur; ergo, licet Virgo de iure nasci debuerit in peccato et fuisse filia irae, multo magis per divinam potentiam fieri potuit filia gratiae et amoris.

Iterum, prima materia naturaliter est informis secundum Augustinum, XII *Confessionum* [1]; et tamen per divinam potentiam potest fieri sub actualitate formae, ut non praecedat sua informitas suam formationem tempore, sed tantum natura; ergo, licet Maria naturaliter debuerit esse sub informitate originalis peccati, tamen potuit Deo agente per gratiam fieri in eodem instanti, ut peccatum originale gratiam praecederet in ea natura, non duratione.

Praeterea, omnem legem, quam instituit legislator, potest ex certa causa et singulari privilegio immutare in personis aliquibus: « unumquodque enim ex eisdem causis solvitur, quibus legatur [2] »; sed Deus instituit istam legem, quod anima contraheret originale ex unione sui ad carnem concupiscibiliter seminatam et editam ex concubitu viri et mulieris, secundum Augustinum [3]; ergo illam potuit Deus in Maria, si voluit, licite revocare.

Praeterea, Deus potest dare animae gratiam, pro quocumque instanti ipsa est capax; alias plus posset anima capere quam Deus conferre; nec cuilibet supernaturali potentiae passivae responderet potentia supernaturalis activa, quod est absonum dicere; sed anima capax est gratiae in ipso instanti, quo unitur cum carne. Nam si repugnat sibi pro illo instanti divina gratia, aut hoc est ex parte sui, quod esse non potest, tum, quia « ex eo est capax gratiae et gloriae, quo est imago Trinitatis », secundum Augustinum [4]; est autem imago Trinitatis in primo instanti; tum, quia perfectio prima et secunda possunt esse in eodem instanti, nec oportet, quod esse praecedat tempore bene esse; tum, quia non repugnat aeri corporeo [5] illustrari in primo instanti, in quo est, lumine corporali; ergo nec animae illuminari splendore gratiae; aut repugnat ratione carnis infectae, cui unitur, quod nec etiam stare potest, tum, quia manente infectione carnis in tempore

[1] C. 3 n. 3 sqq.

[2] Auctor. *Op. imperf.* in Matth. (inter op. Chrysost.), homil. 32 n. 9 (c. 4 C. XXVII q. 2).

[3] Potius Fulgent., *De fide ad Petr.*, c. 26 n. 69; cfr. August., *Enarrat. in Ps.* 50, 10. [4] XIV *De Trin.*, c. 8 n. 11. [5] Ass. *Alicui corpori.*

consequenti potest gratiam capere; alias nullus posset iustificari; tum, quia in viris sanctis stat gratia etiam cum summa rebellione et concupiscentia carnis iuxta illud, quod dixit Deus apostolo carnis stimulum patienti, II ad Corinthios 12[1]: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur:* ergo Deus potuit in primo instanti animae beatae Virginis conferre gratiam, cuius ipsa naturaliter capax fuit.

Amplius, de ratione originalis peccati non est nisi vel concupiscentia in carne seminata vel privatio originalis iustitiae debitae inesse vel offensa Dei super utrumque fundata; sed haec omnia Deus potuit tollere a beata Virgine in instanti suae creationis, et a carne concupiscentiam, et a privatione iustitiae obligationem ipsam [2], et ab utroque offensam: ergo potuit tollere totaliter culpam originalem.

Iterum, omnia, quae concurrunt in primo instanti, quo anima carni infunditur, concurrunt etiam in sequenti instanti et in tempore consequenti, in quo constat, quod Deus potest originale tollere: ergo potest aequaliter et in primo.

Ex praedictis potest concludi, quod etiam de ordinata potentia Deus illam potuit praeservare, ubi sciendum, quod ordo a quo dicitur Dei potentia ordinata, vel potest referri ad ordinem voluntarium et libere praestitutum, ut dicantur ea posse fieri de potentia ordinata, quae Deus ab aeterno instituit libere se facturum, et secundum hoc ea, quae facta sunt et quae fient a Deo, dicuntur fieri de potentia ordinata; quod si sic ordo potentiae divinae intelligitur, nihil aliud est quaerere, an Deus de potentia ordinata potuerit praeservare, nisi inquirere, an eam praeservaverit Deus de facto, quae est intentio in quinto capitulo explicanda.

Vel potest ordo ad rationis et aequitatis exigentiam referri; et tunc de potentia Dei ordinata dicuntur illa posse fieri, quae secundum exigentiam rationis fieri possunt; quae quidem ratio vel intelligitur esse solum congruitas vel convenientia et decentia quaedam in nullo arctans divinam voluntatem, quin possit iuste et rationabiliter facere oppositum absque omni inordinatione, si velit; nihilominus tamen est quoddam condecentia et condecens, si sic facit; et in hoc intellectu inquirere, an Virginem Mariam potuerit praeservare de potentia ordinata, pertinet ad caput sequens.

[1] V. 9.

[2] Ass. *ipsius.*

Vel ratio illa, secundum quam Dei potentia ordinata dicitur, est necessaria et arctans et determinans divinam voluntatem, ut, si secus faceret, esset irrationabile et inordinatum; et hoc modo non est in Deo aliud potentia absoluta a potentia ordinata; omnis enim potentia, quae in Deo est, etiam absoluta, ordinatissima est; quod patet ex multis. Ubicumque enim est ordinis carentia, ibi malum, quia malum est privatio ordinis, secundum Dionysium [1]. Unde et « bonum universi in ordine consistit », XII *Metaphysicorum* [2]. In Deo autem non est ratio mali: ergo nulla potentia est in Deo, quae non sit ordinata.

Praeterea, ubicumque est potentia absoluta alia a potentia rationali et legibus ordinata, ibi potest intervenire peccatum; agens enim secundum potentiam absolutam praetermittens ordinem peccat; sed Deus peccare non potest: ergo in eo non est distinctio ordinatae potentiae ab absoluta.

Iterum, prima regula nulli alteri regulae, nullis aliis legibus aut rationibus est subiecta; sed Dei voluntas est prima regula: non igitur ipsa vel eius potentia est alicui ordinationi subiecta.

Praeterea, si talis potentia poneretur in Deo, quidquid Deus posset facere de tali potentia, faceret necessario; nam si detur, quod non faceret, daretur, quod peccaret, quod est impossibile; sed nihil cadit sub divina potentia, quod Deus necessario faciat, cum sit creaturarum principium voluntarium et liberum secundum fidei veritatem: ergo non est talis potentia in Deo. Ex quo igitur Deus de potentia absoluta potuit Virginem, ne originale contraheret, praeservare, potentia vero absoluta ipsa est ordinata, ut declaratum est, relinquitur, quod potuit de potentia ordinata, praesertim, cum in eo nihil sit irrationabile aut inordinatum.

Et in hoc tertium capitulum finitur.

Capitulum IV.

In quo ostenditur, quod de summa decentia ipsam potuit praeservare.

Nunc post praedicta evidenter est ostendendum, quod de summa decentia et ordinata ac rationabili voluntate ipsam

[1] Cfr. *De div. nom.*, c. 4 § 19, 20, 32. — August. dicit *De natura boni*, c. 4: « Peccatum est corruptio modi, speciei et ordinis ».

[2] Potius XI *Metaph*, c. 10.

potuit praeservare referendo ordinationem potentiae ad congruitatem et decentiam potiorem, non tamen necessitatem aliquam imponentem. Ait enim apostolus ad Romanos 3 [1], quod Deus posuit Iesum Christum propitiatorem omnium delictorum *per redemptionem, quae est in ipso*. Ex quo concluditur, quod ipse sit redemptor perfectissimus et peccatorum potentissimus propitiator. Non est autem propitiator potentissimus et redemptor, qui caret actu perfectissimo redimendi; et quidem, cum sint sex modi redimendi seu redemptionis a peccato: primus siquidem, quo quis redimitur post lapsum in mortale peccatum, quo modo redimuntur communiter hodie peccatores; secundo vero, quo quis redimitur post lapsum in veniale, utpote cum quis non cecidit in mortale peccatum, sed tantum in veniale; tertio vero, quo quis redimitur post lapsum in originale, ut pueri post baptismum et sanctificati infra maternum uterum; quarto vero, quo quis redimitur et servatur, ne prolabatur in mortale, ut apostoli post Pentecosten, qui mortaliter ex tunc peccare non potuerunt, ut tenetur communiter; quintus vero, quo quis redimitur et servatur, ne labatur in veniale, sicut de beato Ioanne Baptista aliqui voluerunt dicere exponentes ad hoc illud, quod de eo cantat ecclesia [2]:

« Ne levi saltem maculare vitam
Famine posset »,

licet Augustinus videatur sentire contrarium, in libro *De natura et gratia* [3]; sextus tamen est potissimus modus redemptionis et perfectissimus, quo videlicet quis redimitur et servatur, ne labatur in originale peccatum. Cum igitur Christus redemptor perfectissimus usus fuerit quinque modis primariis redimendi a peccato, aliquos quidem a mortali redimendo, ne caderent, aliquos vero post lapsum, ut resurgerent, et aliquos similiter praeservando a veniali peccato, ne caderent, aliquos subveniendo, ut resurgerent, et aliquos a peccato originali relevando post lapsum, non videtur decens

[1] V. 24 et 25.

[2] In hymno ad Matut. festi S. Ioan., in quo hymno recentiora breviaria legunt *posses... crimine linguae*. Hymnus iste attribuitur Paulo Diacono.

[3] C. 36 n. 42, ubi dicit, beata Virgine excepta, omnes alios sanctos peccato subditos fuisse.

nec congruum, quin usus fuerit etiam sexto modo perfectissimo et potissimo redimendi scilicet aliquem vel aliquam, ne in originale incideret praeservando; sed non debuit nec potuit ita decenter in aliquo alio uti sicut in Virgine Matre sua: ergo in ea decentissimum fuit, ut isto modo uteretur. Quare secundum omnem decentiam ipsam debuit praeservare; ex quo apparet, quod qui hoc negat derogat excellentiae Redemptoris. Non est enim redemptor perfectissimus ille, qui nunquam habuit actum perfectissimum redimendi, qui tamen erat possibilis haberi; sed iste modus redimendi hominem ab omni peccato originali, veniali et mortali est possibilis, ut supra declaratum est tertio capitulo: ergo non apparet, quod aeque congruenter teneat aut decenter Christum in redimendo perfectum qui negat, quod nullum hominem redemit per hunc modum.

Nec obstat, si dicatur, quod redemptio praesupponit aliquem lapsum in peccatum. Hoc enim evidenter est falsum, cum nos dicamur redempti a morte aeterna per passionem Christi, in quam tamen non fuimus lapsi; sed quia in ipsam laberemur, si non praeservaremur, congruenter dicimur ab ipsa redempti. Et similiter fur dicitur a furca redimi, qui erat adiudicatus, esto, quod non fuerit appensus ad eam. Sic etiam redimi dicitur a peccato qui praeservatur ab eo. Nec etiam obsisteret, si quis dicere vellet, quod non est perfectissimus liberator per eandem rationem, nisi omnes homines liberet; quasi sic argueretur: liberare unum hominem magnum est; sed liberare duos maius; liberare autem omnes maximum et summe pertinens ad perfectissimum redemptorem; ergo per istam rationem non est redemptor perfectissimus Christus, si non omnes homines liberavit. Sed ad praecedentem instantiam dicimus, quod hoc non obsistit. Hoc, inquam, non obstat, quia perfectio agentis non pensatur ex multitudine, sed magis ex modo agendi perfecto. Unde et Christus voluit redimere *de omni natione, quae sub caelo est* [1], sed non omnes, secundum illud Apocalypsis 7 [2]: *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis ante thronum.* Consimiliter omni modo redimendi uti [3] debuit, etsi non redimeret omnes.

[1] Act. 2, 5; cfr. Apoc. 5, 9. [2] V. 9. [3] Ass. *ut.*

Et confirmatur, quia multitudo individuorum productorum non arguit maiorem perfectionem agentis, sicut patet, quod per unam artem scribendi potest unus scribere centum a, sicut unum vel mille vel infinita. Modus autem agendi magis perfectus bene arguit perfectiorem scriptorem; et consimiliter est de redemptore tenendum. Nec etiam obsisteret, si quis hoc dixerit, quod nihilominus manet redemptor perfectissimus, esto, quod non fuerit usus actu redemptionis potissimo, dum tamen potuerit uti, quia perfectio redemptoris mensuratur secundum posse redimere, non secundum redimere in actu. Hoc siquidem non valet; nam redemptio actum nominat, non potentiam; unde dicitur tunc perfectissimus redemptivus, non redemptor, praesertim, quia hoc verum non est, quin actus faciat ad perfectionem respectu virtutum. Unde magis iustus est, qui actus iustitiae exercet, quam qui semper staret in habitu. Et Christus etiam perfectior redemptor dicitur, quia aliquo redemptionis modo usus est, quam si nullo usus fuisset.

Praeterea, ad Romanos 7 [1] exclamat contra peccatum apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!* et respondet, quod *gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ex quo evidenter concluditur, quod Christus respectu peccati hominum est perfectissimus liberator. Sicut igitur cernens aliquem casurum in lutum corporeum liberaret eum perfectius, si non sineret eum in lutum prolabi, quam si post lapsum erigeret et mundaret, sic perfectius liberatur per Christum a peccato qui non sinitur eius gratia in ipsum peccatum prolabi, quam qui erigitur iam collapsus. Non est ergo decens aut rationabile, quin Christus usus fuerit hoc actu liberationis.

Nec obstat, si dicatur, quod ob hoc usus non fuit, quia nullum hominem sic decuit totaliter liberari; in actu enim liberationis non attenditur dignitas aut iustitia liberati, sed tantum misericordia liberantis. Unde nec aliquis dignus fuit liberari aliquo modo liberationis, sed in omnibus affuit misericordia sive bonitas liberantis. Et praeterea, Virgo Maria multo minus digna exstitit, ut fieret Mater Dei; quod si istam gra-

[1] V. 24 sq.

tiam fecit sibi Altissimus absque merito sui et aliqua condignitate, quae tamen maior est, non est mirum, si absque sui dignitate liberávit eam hoc modo.

Rursus, ad Romanos 9 [1] apostolus distinguit inter *vasa irae et vasa gratiae et misericordiae* tanquam inter opposita vasa. Est autem regula, quod, si unum oppositorum est in natura, et reliquum, maxime [2] si excellentius sit; sed inter homines inventi sunt aliqui, qui fuerunt perpetuo vasa irae et erunt, ut qui concepti in originali nec baptizati *addiderunt blasphemias* [3] actuales et in illis defuncti finaliter sunt damnati; inveniuntur etiam aliqui, qui aliquando fuerunt vasa irae, deinde misericordiae, ut baptizati: ergo et reperiri debet aliud extremum excellentius, quod videlicet sit aliquod vas misericordiae Dei perpetuum, quod nunquam fuerit de facto vas irae, praesertim cum Deus pronior sit ad miserendum quam ad iram. Unde si invenitur de facto aliquod vas irae perpetuum, magis decens est et rationabile, quod inventum fuerit vas misericordiae aeternum. Nec valet, si dicatur, quod iste sit Christus: nam ipse misericordia non eguit, cum ipse miseriam peccati non habuit nec de iure nec de facto, cui oportuerit misereri. Maria autem, etsi non de facto, habuit tamen de iure, et habuisset de facto, nisi fuisset praeventa Dei misericordia.

Hoc idem videtur rationibus approbari, quae innituntur auctoritatibus Augustini. Ait enim in libro *De natura et gratia* [4] circa medium libri, loquens de peccato actuali, quod « propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccato agitur, de Maria vult habere quaestionem. Sibi enim collata est gratia ad vincendum ex omni parte peccatum, ex eo, quod concipere et parere debuit, quem nullum constat habuisse peccatum ». Ex quo evidenter concluditur, quod in ea etiam nunquam fuit peccatum veniale. Certum est autem, quod peccatum originale maius est veniali et detestabilius Deo, cum promereatur eius iram et damnationem aeternam, quod veniale non meretur; si igitur Christus peccatum

[1] V. 22 sq.

[2] Aristot., I *Topic.*, c. 13: « Si alterum [oppositorum] multipliciter dicitur, et reliquum ». Et V *Ethic.*, c. 1: « Si unum multis modis dicitur, alterum quoque dicatur ».

[3] Cfr. Iob 34, 37.

[4] C. 36 n. 42.

veniale horruit in ipsa, quae ipsum peperit et concepit, secundum Augustinum [1]: ergo multo fortius horruit originale, quod detestabilius est, horribilius et maius. Nec obstat, si quis dixerit, quod, licet eam permiserit in originale cadere, tamen antequam conciperetur ab ea, ipsam purgavit; pari enim ratione debuisset permittere de veniali, quod tamen non fecit; nec iterum, si dicatur, quod nondum erat mater eius propter eandem rationem; nec etiam, si quis dicat, quod veniale imputatur personae, originale vero naturae, nam et originale imputatur personae tamen propter naturam. Unde et propter ipsum magis oditur persona et detestabilior fit quam propter veniale.

Praeterea, in sermone *De assumptione beatae Virginis* [2] dicit Augustinus, quod, ubi « Scriptura divina nihil commemorat de Virgine Maria, ibi quaerendum est ratione, quod conveniat veritati fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua nec est nec valet auctoritas »; et concludit [3], quod « laborandum [4] est videre, si hoc conveniat tantae sanctitati, tantae praerogativae aulae Dei ». Illud igitur secundum regulam, quam hic dat Augustinus, attribuendum est Virgini gloriosae, quod congruit rationi ac tantae sanctitati ac tantae praerogativae sanctissimae aulae Dei; sed clarum est etiam de panno corporeo, de quo debet fieri corporale, super quod corpus Domini consecratur, aut de hostia, quae consecrari debet, quod, si fuissent deturpata, ut puta in ore canis vel in luto aut fimo animalium, nullus diceret ex tunc ea esse congruentia sanctitati corporalium aut hostiae consecrandae, quantumcumque dealbarentur aut purgarentur: ergo multo fortius caro et anima immaculatae Virginis non congruerent sanctitati aulae Dei, si fuisset per originale foedata, licet postea mundarentur.

Amplius, ibidem Augustinus sic dicit [5]: « Non immerito excipitur a quibusdam regulis generalibus vera aestimatione Maria, quam tanta servat gratia et attollit dignitatis praerogativa. Promeruit enim hoc singularis sanctitas et singularis gratia, qua susceptione Dei aestimanda est digna ». Haec ille. Ex quibus potest argui, quod merito Virgo Maria exci-

[1] Cfr. locum pag. 57 nota 4 cit. [2] Inter opera August., c. 2.
[3] *Ibid.* c. 3. [4] Ed. *librandum*. [5] C. 4.

pitur ab omni regula generali, dum tamen hoc promereatur singularis susceptio Dei et gratia maternitatis; sed clarum est, quod Dei susceptio et maternitas hoc meretur, ut vas susceptivum deitatis ab omni culpa fuerit mundum, non solum pro hora susceptionis, quinimmo pro semper: sine dubio multo fortius quam praeservationem eiusdem susceptivi corporis a conversione in pulverem, lutum et vermem; et tamen hoc ex praedictis verbis concludit et elicit Augustinus [1]: igitur decentissimum exstitit, quod ipsa exciperetur ab illa regula generali, qua omnes contrahunt originale peccatum, praesertim, cum Deus plus detestetur peccatum quam lutum in carne, quae ipsum concepit.

Item, Augustinus dicit ibidem [2], quod « caro Christi est caro Mariae et sumpta de ea », et ideo « excipitur a generali sententia de Virgine sumta natura, quod si non Mariae congruit, congruit tamen Filio, quem genuit »; et infra: « sicut diversa est a natura, ita diversa est ab usu, per quam Deus voluit nasci et carnis substantiam communicare ». Haec ille.

Ex quibus evidenter propositum potest concludi, quoniam iuxta istam regulam illud, quod aliter non congrueret Mariae, ponendum est convenire propter hoc, quod convenit Filio, quem genuit, et carni, quae caro sua est et in qua communicant ambo; sed certum est, quod carni Christi congruit, quod nunquam fuerit per peccatum infecta: ergo et congruit carni Mariae, vel sine dubio nihil arguit Augustinus probando per hanc rationem, quod caro Mariae nunquam debuit incinerari.

Adhuc, Augustinus, libro V *Contra Iulianum* [3], dicit de Christo, « quod nullum fecit peccatum maior exsistens, quia non habuit originale peccatum puer exsistens. Profecto enim peccatum maior fecisset, si a parentibus habuisset naturam [4]; propterea nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu ». Haec Augustinus.

Ex quo colligitur, quod quicumque peccatum originale habuerit, accessu grandioris aetatis peccatum actuale com-

[1] *Ibid.* c. 5 et 8.
[2] *Ibid.* c. 5, 3 et 4.
[3] C. 15 n. 57.
[4] Ed. *si parvus habuisset.*

misit; sed clarum est, quod Virgo nullum actuale peccatum commisit Bernardo [1] attestante, quod « decuit reginam virginum absque omni peccato ducere vitam »: igitur ipsa non habuit peccatum originale, ut videtur.

Praeterea, Augustinus in sermone *De assumtione* [2] dicit, quod « *qui cognovit sensum Domini et qui consiliarius eius fuit* [3], respondeat, si non pertineat ad benignitatem Domini Matris servare honorem, qui *legem solvere non venerat, sed adimplere* [4]? Lex autem, sicut honorem matris praecipit [5], ita inhonorationem damnat »; et concludit, quod « qui in vita prae ceteris illam sui conceptus gratia honoravit, pium est credere, eam singulari salvatione et speciali gratia honorasse ». Ex quo colligitur, quod Christus, moralissimus legislator, praeceptum illud de honore matris impendendo et opprobrio evitando tanto excellentius circa matrem propriam observavit, quanto prae ceteris legem non solvit quoad moralia, sed implevit. Omnem ergo honorem sibi impendit et ab inhonoratione praecavit, quem impendere potuit salvo honoris sui privilegio singulari; sed Virginem non contraxisse originale peccatum summe honorificum est, etiam amplius, quam incineratam non fuisse post mortem; et hoc Christus Virgini dare potuit non derogando privilegio honoris sui, tum quia adhuc ipse excellentior est in sanctitate, qui nec de iure nec de facto potuit habuisse originale peccatum, iuxta illud Augustini, *Contra Iulianum* libro V [6]: « Peccatum originale, quod per concupiscentiam carnis transit, in carnem Christi transire non potuit, quam non per concupiscentiam Virgo concepit »; tum, quia maior honor est Filio, si non solum ipse a peccato sit immunis, immo et Mater ob gratiam et reverentiam sui, iuxta illud Anselmi in libro II *Cur Deus homo*, capite 16 [7]: « Matris munditia non fuit nisi ab illo, qui per se ipsum et a se mundus fuit ». Igitur hunc honorem, quem dare sibi potuit absque praeiudicio sui, si non contulerit, non apparet, quomodo mandatum proprium observaverit, quemadmodum etiam Augustinus ibidem [8] arguit contra incinerationem.

[1] Epist. 174 n. 5. [2] C. 5. [3] Rom. 11, 34. [4] Matth. 5, 17.
[5] Cfr. e. g. Exod. 20, 12 et 21, 15 sqq. [6] C. 15 n. 54.
[7] Migne, P. L. 158, 419. [8] *Serm. de assumt.*, c. 6.

Rursum, ibidem dicit Augustinus [1], quod ab opprobrio humanae conditionis, a quo Iesus excipitur, rationabile est, ut Maria excipiatur; sed inter opprobria humanae conditionis maximum est originale peccatum, cuius virtute omne aliud opprobrium famis, sitis, mortis, incinerationis et vermis derivatur, iuxta illud Augustini, *Contra Iulianum*, libro III [2]: « Nil mali vel in corpore vel in anima est in homine nisi propter primi peccati originale contagium »: ergo ab isto opprobrio potiori omne aliud opprobrium continente et inducente, ipsam praeservatam fuisse decentissimum et congruum videtur, alias videretur, quod gauderet gratis in opprobrio Matris.

Amplius, in praefato sermone [3] Augustinus subdit, quod, « si non obviat necdum perspecta auctoritas, vere credit, quod tanta sanctificatio dignior est caelo quam terra; quod thronum Dei et tabernaculum Christi dignum est ibi esse, ubi est ipse; quod tam pretiosum thesaurum dignius est caelum servare quam terra: quod tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis ulla resolutio sequitur ». Et concludendo subdit: « Illud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumsit, escam vermibus traditum, quia assentire non valeo, dicere pertimesco ». Haec ille.

Ex quo evidenter concluditur, quod pertimescendum est sentire de illo sacratissimo corpore, quod vermibus aut corporalibus aliis turpitudinibus sit subiectum; sed certum est, quod spiritualis turpitudo peccati est maior vilitas quam quaevis corporea turpitudo; unde, si Filius eligendum offerret Matri inter istam et illam turpitudinem, non dubito, quod Virgo eligeret corrosionem vermium et perpetuam incinerationem in carne potius quam habuisse odium et iram Dei ac offensam in mente, quia et sic constat eligendum esse secundum rectam rationem, cum peccatum directe obviet caritati, isti vero corporei defectus non obviant: ergo hoc sentire aut dicere de Virgine valde pertimescendum est secundum Augustinum.

Nec obstat, quod Ioannem evangelistam, secundum quod pie creditur, praeservavit Christus a carnis putrefactione, sicut scriptum est Ioannis ultimo [4]: *Sic eum volo manere,*

[1] C. 5.
[2] C. 5 n. 11.
[3] C. 6, ubi et sequens locus habetur.
[4] C. 21, 22.

donec veniam; et tamen constat, quod non fuit praeservatus ab incursu originalis peccati. Siquidem hoc non obstat, quia nullus pertimescit aut horret de Ioanne evangelista aliqua sentire turpia et indigna, quod tamen de Virgine Augustinus in hoc loco se pertimescere fatetur.

Praeterea, Augustinus, *Contra quinque haereses,* loquens contra haeresem tertiam [1], quae est Manichaeorum, quaerit ab haeretico in haec verba: « Stulte! unde sordes in Virgine Matre, unde sordes in domo, ad quam fabricator eius venit, vestemque, quam non habebat, induit eamque, sicut invenit, clausam reliquit »? Et paulo supra in persona Christi sic alloquitur Manichaeum: « Hanc, quam despicis, Manichaee, Mater mea est, sed manu est fabricata mea ». Haec Augustinus.

Ex quo evidenter concluditur propositum; constat enim, quod nullus prudens artifex fabricans opus ad aliquem certum finem deducit opus primo sub opposito et repugnanti illi fini, si tamen possit praeservare; sed clarum est, quod Deus fabricavit Virginem in utero materno ad istum finem, ut ipse ex ea processu temporis conciperetur et nasceretur; ut hic testatur Augustinus et II *De baptismo parvulorum* [2] dicens, quod Deus « Matrem, quam elegerat, creavit, et de qua crearetur, elegit »: igitur, cum conceptioni Dei repugnet omne peccatum tam originale quam actuale, non fuisset prudentia nec divinae sapientiae congruum, opus istud prius includere in originale peccatum, praesertim, cum potuerit praeservare, nec appareat ratio, quare hoc noluisset [3], quia ex hoc non accidit aliqua excellentia ipsi Christo, immo magis decrescit. — Et confirmatur ratio sensibili exemplo, quia nullus aedificans ecclesiam, ut ibi corpus Domini consecretur, prius procurat, ipsam infici aut foedari stercoribus, spurcitiis aut turpitudinibus quibuscumque, immo praecavet, quantum potest.

Iterum, in sermone *De assumtione* [4] arguit Augustinus, quod non permisit Christus corpus Virginis in putredinem verti per talem rationem: « Si nullus, inquit, ecclesiasticorum dubitet de potestate Christi, quin possit Matrem sine corruptione in perpetuum conservare, cur dubitandum est voluisse,

---

[1] C. 5 n. 7; ubi est et sequens locus. [2] C. 24 n 38.
[3] Sess. continuat: *nam non accrescit aliqua excellentia.* [4] C. 8.

quod attinet ad magnam benignitatis gratiam » ? Consimiliter in proposito, vel sua ratio non concludit, vel hic evidenter concludit. Nullus enim dubitat, quin potuerit sanctificare Virginem in primo instanti, quo fuit, et animam eius creare cum gratia, et per consequens, ne originale contraheret, praeservare, ut supra ostensum est capitulo tertio. Si igitur potuit, dic mihi, quare fuit sic impius et crudelis et carens foedere filiali, quod hanc benignitatem et misericordiam noluit exhibere? Non enim valet, si diceres, quod suae excellentiae derogaret; nam sicut ostensum est, ipse adhuc sanctior esset quam Virgo, qui de iure et de facto ac de natura et de omni iustitia sanctus esset; Virgo autem de facto tantum, non de iure; iterum, non natura, sed gratia, nec de ulla iustitia, sed misericordia summa. Nec valet etiam, si dixeris, quod sibi derogaret in quantum redemptor, quia non derogaret, immo perficeret, cum iste sit modus perfectissimus redimendi, nec etiam tollitur, quin mediatore indiguerit Virgo Maria; summe enim indiguit, ut servaretur, sicut latro intercessore indiget apud iudicem, ne suspendatur, et omnes indigemus Christo mediatore, ne incidamus in barathrum damnationis aeternae: ergo, si non derogat Christo in quantum Sanctus sanctorum nec in quantum peccatorum redemptor nec in quantum mediator Dei et hominum, da rationem tu, qui vis quae dicta sunt refragari, quare hoc dignum non fuit. Unde et Augustinus sub his verbis concludit in eodem sermone [1], quod, « si quis refragari [2] his eligit, cum dicere non velit, ista Christum non posse, proferat, quare non conveniat velle, ac per hoc non esse, et si veraciter consilium Dei nosse se manifestaverit, incipiam ei credere super his, de quibus tamen non aliter praesumsi sentire ». Et inferius [3] subiungit loquens ad Christum: « Si vera sunt quae scripsi, tibi gratias ago, Christe, quia de sancta Virgine, Matre tua, nisi quod pium est atque dignum visum est, sentire non potui ». Et haec eadem ego dico in praesenti quaesito.

Item, Augustinus, *Contra quinque haereses*, in haeresi tertia [4] introducit Christum sub his verbis loquentem de Virgine: « Si potui, inquit, inquinari, cum eam facerem, potui

[1] C. 9 [2] Codices *irrefragare*. [3] Loc. cit. [4] C. 5 n. 7.

in ea inquinari, cum ex ea nascerer »; sed certum est, quod Christus non fuit inquinatus per originale peccatum, cum nasceretur ex ea: ergo nec Maria inquinata fuit, cum fieret et formaretur ab eo.

Rursum, Augustinus in quodam sermone *De nativitate Virginis* [1] dicit, quod summa sapientia Dei nullam in massa generationis humanae viam invenit, per quam, ut disposuerat, in mundum veniens eius subveniret luctuosae perditioni, donec ad illam, de qua loquimur, virginem ventum est. Sed haec, mox ut in mundum per humanae generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute perfecte resplenduit, ut eam Dei sapientia vere dignam iudicaret, ut per ipsam in hominem veniens non tantum reatum primorum hominum, sed et totius mundi peccata deleret. Haec ille.

Ex quo evidenter propositum declaratur. Constat enim, quod *mox* et *statim* referuntur ad instans secundum Philosophum, IV *Physicorum* [2]. Constat etiam, quod Augustinus hic loquitur de adventu in uterum per lineam humanae generationis, tum quia, si intelligeret de adventu extra uterum, non esset verum, quod dicit, tunc temporis fuisse iudicatam dignam, ut ex ea nasceretur Christus, nec quod tunc primo resplenduerit omni bono, quia sanctificata fuit in utero secundum omnes. Igitur illud *statim* et *mox*, in quo resplenduit et electa fuit ad hunc honorem, ut in eam Deus veniret, referri debet ad adventum in uterum per lineam humanae generationis; quare secundum Augustinum in instanti plasmationis resplenduit omni bono, et per consequens non habuit originale.

Praeterea in sermone *De assumtione Virginis* [3] Augustinus dicit, « nullam sequi debere corruptionis aerumnam Mariam, ut sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia; sit integraliter vivens quae omnium integram perfectamque genuit vitam ». Et ex ista ratione concludit, quod fuit assumta cum corpore nec fuit incinerata dicens: « Laetare, Maria Virgo, laetitia inenarrabili in anima et corpore, in proprio Filio,

[1] Cfr. potius *Tract. de concept. B. M. V.* (inter opera Anselmi), P. L. 159, 308 sq.

[2] C. 13 (alias 19 vel *Summa* 3 de temp. text. 127): « Modo autem dicitur, quod est propinquum praesenti nunc » etc.

[3] C. 8.

cum proprio Filio, per proprium Filium, de qua, quia aliter sentire non audeo, aliter dicere et sentire non praesumo ». Haec ille. Cuius ratio vel est nullius momenti et nihil concludit vel in proposito nostro concludit. Clarum est enim, quod plus repugnat illi, quae omnem, integram perfectamque genuit vitam, mors mentis quam carnis, mors criminis quam corporis, quoniam vita, quam genuit, non fuit corporalis, sed spiritualis, scilicet Christus, qui de se ipso ait: *Ego sum via, veritas et vita*, Ioannis 14 [1]; peccatum autem est mors spiritualis repugnans et contraria huic vitae: si ergo concludit recte et veraciter Augustinus, quod incineratio corporalis Virgini inesse non debuit, quia genuit vitam, multo fortius concludetur, quod nec peccatum originale, quod est mors summe contraria illi vitae.

Amplius, Augustinus in sermone *De nativitate* eiusdem *Virginis* [2] dicit, quod puella de propagine nata Adae et de peccatrice orta propagine subito versa vice maledictionis Evae facta est benedicta; sed hoc vocabulum *subito* refertur ad instans sicut mox et nunc et similia: ergo in instanti, in quo primo fuit benedicta per gratiam, exstitit non maledicta per originale peccatum. Et confirmatur, quia indefinita negativa consuevit aequipollere, etsi non logice, tamen secundum communem modum loquendi, universali negativae; unde ista: diameter non est commensurabilis costae, aequipollet huic: nullus diameter etc.; et dicens, quod columba non fuit in arca Noe, innuere videtur, quod nulla. Similiter, cum angelus maledictionem Evae in benedictionem convertendo Mariae dixerit [3]: *Ave*, « id est sine vae [4] », indefinite, debet intelligi generaliter absque vae cuiuscumque peccati: originalis, mortalis et venialis.

Rursum, quando aliqua duo proferuntur sub dubio et sub conditione, rationabile videtur, quod proferens aeque dubium reputet de uno sicut de altero illorum duorum; sed Augustinus in eodem sermone [5] dicit sub dubio, quod, si adhuc in beata Virgine aliquid vel peccati originalis vel actualis subrepserit,

---

[1] V. 6. [2] Cfr. pag. 64 not. 1. [3] Luc. 1, 28.
[4] Petr. Cellens., *Serm.* 24 *in annuntiat. B. M. V.*, in medio.
[5] Cfr. loc. cit. not. 2.

ita mundatum est cor ipsius, quod super eam Spiritus Dei requievit: ergo videtur, quod aeque dubitaret Augustinus de peccato actuali sicut et de originali, utrum subrepsisset in Virginem. Clarum est autem, quod in libro *De natura et gratia* [1] Augustinus determinat, quod nunquam actuale peccatum subrepserit in eam: ergo idem videtur de originali sensisse.

Praeterea, nihil est de beatissima Domina aestimandum, cuius aestimatio procul pellat inaestimabile munus gratiae sibi collatae, quae gratia nihil aliud est quam esse Matrem Dei, esse principium gratiae, pacis et amicitiae et caritatis divinae. Ait enim Augustinus in sermone *De assumtione* [2], quod de Maria credendum non videtur [3] nec aestimabile illud, cuius aestimationem procul pellit incomparabile munus gratiae, quod me dicere multarum consideratio rerum invitat». Haec Augustinus. Sed certum est, quod maternitas Dei, causalitas omnis gratiae, principiatio divinae pacis, caritatis et amicitiae procul pellit aestimationem omnis peccati; inaestimabile enim est, principium amicitiae [4] esse filiam odii, principium caritatis et pacis esse filiam irae, Matrem Dei esse filiam peccati: igitur haec omnia esse non decuit secundum verba Augustini.

Hoc idem videtur rationibus, quae innituntur auctoritatibus Hieronymi, Gregorii, Ambrosii, Anselmi et Bernardi.

Ait enim Hieronymus in sermone *De assumtione baetae Virginis* [5], quod «non est dubium, quin totum ad gloriam laudis Christi pertineat, quidquid genitrici suae impensum fuerit ac solemniter exhibitum»; ex quo colligitur, quod omnis honor impensus Matri redundat in Filium, et consimile esse videtur de vituperio. Cum ergo turpitudo peccati originalis summe repugnet Filio, non videtur bene Christum honorare in Matre, qui ponit in ea originale peccatum fuisse.

Praeterea, Hieronymus in eodem sermone testatur [6], quod «quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude eius»; ex quo concluditur, quod quidquid potest humanis mentibus

[1] C. 36 n. 42. [2] C. 6 sq.
[3] Edit. continuat: *consentibile, quia aestimationem.*
[4] Sess. *caritatis et pacis esse filiam irae.*
[5] Vel *Epist.* 9 ad Paul. et Eustoch. (inter opera Hieron.), n. 4.
[6] *Ibid.* n. 5.

cogitari et verbis hominis explicari, debet Virgini attribui, dum tamen non deroget honori Filii sui; sed in nullo laus ista derogat, immo sine dubio, ut manifesto videtur, exaltat: ergo sibi debet attribui.

Praeterea, ibidem [1] Hieronymus extollendo Virginem dicit, quod « ceteris per partes praestatur gratia, in Maria vero totius se gratiae plenitudo diffudit »; et ibidem dicit, quod gratia Christi plenissime fuit in Maria, ex quo patet, quod Christus plenissimam gratiam sibi fecit; sed ad plenitudinem gratiae spectat, quod fuerit immunis ab omni originali, veniali et actuali: ergo, quantum est de decentia, sic videtur fuisse factum.

Praeterea, Ambrosius super Lucae 1: *Missus est* etc. dicit [2], quod « maluit Dominus aliquos de suo ortu quam de Matris suae pudore dubitare », nec putavit fidem suam Matris iniuriis astruendam; ex quo evidenter apparet, quod etiam in sui honoris praeiudicium aliqua pertinentia ad decentiam voluit impendere Matri. Cum igitur absque sui iniuria et honoris derogatione omnimoda istud dare potuerit, ut supra [3] dictum est, concludi videtur, quod secundum omnem decentiam ita fecit.

Praeterea, *De conceptu virginali*, c. 18 dicit Anselmus [4], quod « decebat, quod illius hominis conceptio de matre purissima fieret, nempe decens erat, ut ea puritate, qua sub Deo nequit maior intelligi, Virgo niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita daturum disposuerat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius et quam sibi Filius Matrem substantialiter sibi facere eligebat, et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat ». Ex quo arguitur, quod virgo Maria obtinuit summum et primum gradum puritatis et munditiae, qui possibilis est sub Christo; sed esse mundum in infusione animae est gradus munditiae possibilis, ut supra [5] capite 3 declaratur, et est gradus inferior et sub Christo primus. Cum

---

[1] *Ibid.* n. 5. [2] *Exposit. in Luc.*, II n. 1. [3] Pag. 60.
[4] Migne, P. L. 158, 451. [5] Pag. 50.

enim plures sint gradus puritatis, primus et potissimus est esse mundum ab omni peccato, et de iure et de facto et omnimode et a se ipso; et iste competit Christo; secundus vero est, esse immundum de iure, mundum tamen de facto, perpetuo et semper; tertius est, fuisse immundum et de iure et de facto aliquo tempore, sed tamen postea fuisse mundatum intra maternum uterum, sicut legimus de beato Ioanne Baptista [1] et de Ieremia [2]; quartus vero est, fuisse immundum nec mundatum, nisi extra uterum per baptismum, quales sunt pueri christiani; et sic descendendo sunt possibiles multi gradus: ergo, si Virgo secundum gradum non habuit, scilicet perpetuam munditiam de facto et immunitatem ab omni peccato, quamvis non de iure, vacuus est iste gradus secundus, nec verum est, quod dicit Anselmus, quod « habuit eam puritatem, qua sub Deo nequit maior intelligi ». Nec obstat, si dicatur, quod non est alius gradus a primo iste, qui positus est pro secundo; hoc enim est evidenter falsum; potius enim est illud, quod est de iure et de facto, quam illud, quod est de facto tantum.

Adhuc, rationabile non videtur, quod Deus Pater ad hanc aequalitatem aliquam elegerit in matrem sibi aliquando displicibilem et oditam, ut videlicet unus idemque sit communis Filius illius semel oditae et sui ipsius; sed secundum Anselmum et veritatem ad hunc honorem Mariam elegit: ergo non est rationabile, quod fuerit unquam odita; cui enim honorem tantae aequalitatis tribuit, videtur decentissimum, quod aeternam munditiam ab omni peccato concessit.

Praeterea, non est conveniens, ut videtur, quod Spiritus sanctus permiserit, quod sui principii palatium fuerit aliquo vitio sanctitati repugnante infectum aut aliquando inquinatum; sed virgo Maria fuit electa, ut esset quodam modo principium Spiritus sancti, in quantum est principium sui principii Mater [3] Filii, a quo Spiritus ipse procedit; potest enim proprie dici Mater Spiratoris, sicut et Mater Creatoris: ergo non videtur, quod ipsam unquam aliquo vitio originali vel alio inquinari permiserit; et hoc Anselmus innuit expresse in praedicta auctoritate.

---

[1] Luc. 1, 15. [2] Ier. 1, 5. [3] Pro *Mater* Ass. *scilicet.*

Praeterea, non videtur, quod ille thalamus, in quo operatus est immediate Spiritus sanctus, ut teneret vim formativae virtutis, fuerit unquam infectus, rebellioni, legi membrorum aut alicui habituali contagioni subiectus; sed sic est de Virgine, ut hic testatur Anselmus, et recta fides habet: ergo idem quod prius.

Praeterea, in *Epistola ad episcopos Angliae* dicit idem Anselmus [1], quod « non est verus amator Virginis, qui celebrare respuit festum conceptionis »; sed si fuisset odita et filia irae in ipsa conceptione, non videtur adeo congrue, potissime sub conceptionis vocabulo, celebrandum hoc festum: ergo, ut videtur, odium non contraxit.

Nec valet, quod aliqui aequivocant dicentes, quod non sit festum conceptionis, sed sanctificationis; quia Anselmus non loquitur aequivoce, nec ecclesia aequivocat. Unde etiam Bernardus [2] arguit contra ecclesias celebrantes conceptionem, contra quem Anselmus videtur illam epistolam edidisse.

Praeterea, in *Epistola ad Lugdunenses* Bernardus [3] dicit, quod « ante conceptionem sanctificari non valuit, quia non potuit ante sancta esse quam esse, siquidem non erat, antequam conciperetur, nec simul sanctificata esse potuit et concepta, quia inter amplexus maritales sanctitas immiscere se non potuit conceptioni; non est enim societas Spiritui sancto cum peccato. Inter amplexus autem maritales quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit »? et concludit Bernardus: « Si igitur ante conceptum sui sanctificari non potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat, relinquitur, ut in utero sanctificationem accepisse credatur ». Haec ille. Ex quo apparet, quod fuit eius intentio, quod in illo tunc fuit sanctificata, in quo fieri potuit; et quia non inter amplexus maritales, quia libido inerat, nec ante, pro eo quod non erat, sed statim, cum potuit, secundum verba eius; sed supra evidenter probatum est, quod potuit in instanti infusionis animae sanctificari: igitur sua fuit intentio, quod in illo instanti mundata est. Et sic Bernardus et Anselmus nullatenus contradicunt; nam Ber-

---

[1] Supra pag. 8 nota 2 citatus.
[2] Epist. 174 (ad Lugdunenses).
[3] *Ibid.* n 7.

nardus aspicit ad conceptionem seminis, quae fit inter maritales amplexus, ubi libido non defuit etiam in conceptione Mariae, Anselmus autem aspicit ad punctum animationis. Praeterea, Bernardus non plus dicit [1], nisi quod « ipsa exsistens in utero sanctificationem accepit, qua, excluso peccato, sanctam faceret nativitatem, non conceptionem ». Cum igitur ipse hic expresse accipiat conceptionem, quae fit inter amplexus maritales, et peccatum vocet libidinem et concupiscentiam actualem, non plus est de intentione sua, nisi quod illa libido exclusa est et suspensa, ne inficeret Mariam in utero exsistentem; non fuit autem exsistens ante animationem, sed in hora animationis: ergo tunc fuit sanctificata secundum intentionem Bernardi, ut videtur, praesertim, cum non dicat, quando exsistens, utrum scilicet in primo instanti exsistentiae vel post aliquod tempus.

Amplius, glossa [2] super illud Isaiae 11 [3]: *Egredietur virga de radice Iesse* dicit, quod « per *virgam* Maria intelligitur, cui nullus frutex adhaesit »: ergo secundum hanc glossam nullus frutex, nulla propagatio vitii aut peccati videtur fuisse in ea.

Demum super illud Ioannis 19 [4]: *Mulier, ecce filius tuus*, dicit glossa [5], quod Christus « docet, ut a piis filiis cura parentibus impendatur, iuxta illud apostoli [6]: *Si quis curam suorum non habet, fidem negat* ». Ex quo colligitur, quod Christus summam curam habuit de Matre sua et summe eam dilexit, immo sua dilectio fuit omnis dilectionis alterius filialis exemplum, regula, metrum et mensura; summo autem et maximo contrarium non admiscetur, ut summe calido non admiscetur frigus nec summe albo nigredo: igitur dilectioni, qua Christus amavit Virginem, nunquam se ira vel odium miscuerunt: ergo nunquam fuit odita a Christo nec detestabilis sibi pro quovis nunc vel instanti; sed si fuisset concepta in Dei odio, Filius teneretur ipsam odire pro illo tunc et detestari: igitur conveniens non exstitit, quod unquam fuerit vas iracundiae Dei.

---

[1] *Ibid.* n. 7.
[2] *Ordinaria* apud Lyranum in hunc locum.
[3] V. 1.
[4] V. 26.
[5] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum.
[6] I Tim. 5, 8.

Ea vero, quae in praesenti capitulo vel de facto vel de debito vel aequipollentibus sunt conclusa, ad eam tantum convenientiam referenda sunt, qua nec debitum simpliciter nec factum praecise intelligatur inferri, sed tantummodo congruentia potior et decentia maior.

In quo ipsum capitulum terminetur.

Capitulum V.

In quo ostenditur, quod absque fidei periculo potest teneri, quod Deus eam praeservavit de facto; nec una pars vel alia est de necessitate fidei, donec per ecclesiam determinatum fuerit, quid tenendum.

Consequens est ergo ad praedicta, ut quid de facto fuerit, inquiratur. Et quia nullus *novit sensum Domini nec consiliarius eius fuit* [1], et *iudicia Dei abyssus multa* [2] sint, apostolo exclamante ad Romanos 11 [3]: *O altitudo divitiarum, sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* merito asseverare hoc vel illud certitudinaliter temerarium est censendum. Ex quo restat, quod teneri potest pars ista vel illa iuxta devotionem opinantis illud vel aliter, donec per romanam ecclesiam fuerit definitum; quod indubitanter apparet ex multis. Ait enim Bernardus in fine *Epistolae ad Lugdunenses* [4], cum tractasset de ista materia et conclusisset Lugdunensibus, ne festum conceptionis Virginis celebrarent, in haec verba: « Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera, quae huiusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare ». Haec Bernardus. Nunc autem certum est, quod in illis, quae determinata sunt ut credenda et quae sunt de necessitate fidei, nec dubia aut incerta, non habent locum verba praedicta: ergo qui dicit, oppositum esse praedicationem ecclesiae orthodoxae aut certam conclusionem sanctorum, et non opinionem, de plano contradicit beato

---

[1] Rom. 11, 34. [2] Ps. 35, 6. [3] V. 33. [4] Num. 9.

Bernardo, qui tamen pro illa conclusione plura verba dixit quam sanctorum aliquis et amplius expressit. Quin immo, cum « dubius in fide infidelis sit », ut probatur *Extra, De haeret.* c. 1 [1], ita quod revocans in dubium ea, quae determinata sunt in fide, infidelis merito sit censendus, aperte convincitur, errorem imponere Bernardo, quicumque asserit, fore determinatum in fide, quod Virgo originale contraxit.

Praeterea clarum est, quod ad dominum papam, cardinales et ecclesiam romanam spectat errores in fide cognitos revocare [2], et si, « cum possint, non revocant, se ipsos errare demonstrant », ut probatur expresse *Extra, De haeret. c.: Qui alios* [3] et 83 d. [4]: *Error etc., Consentire;* « error enim, cui non resistitur, approbatur ». Sed clarum est, quod dominus papa et cardinales et romana ecclesia sciverunt diu et notorie cognoverunt, quod ecclesia anglicana et Normanniae et universitas studii Parisiensis ac multae ecclesiae, quae subsunt domino papae, celebrant festum conceptionis, et quod multi doctores solemnes praedicaverunt Parisius et in Anglia et praedicant singulis annis, quod Virgo Maria non contraxit originale, odium et iram Dei, quod etiam nonnulli vel in suis scriptis communibus reliquerunt, utpote magister Ioannes Scotus et Guilelmus dictus Guarro [5] in suis scriptis super tertium sententiarum. Si igitur hoc est erroneum aut periculosum in fide, romana ecclesia, cardinales ac papa, immo et universalis ecclesia in sustinendo ista erroneam se demonstrat. Ex quo concluditur, quod dicens, conclusionem istam erroneam esse aut periculosam in fide, imponit romanae ecclesiae crimen erroris, quae tamen errare non potest; et ideo magis talis erroneus est censendus, ut probatur 24 q. 2: *A recta* [6]; et talis est ab unitate ecclesiae divisus iuxta illud capitulum *Denique* 7 q. 1 [7]. Amplius, ad solum romanum pontificem spectat ea, quae dubia sunt in fide, et circa ea, quae scholasticorum opiniones sunt, definire, ut probatur *Extra, De baptismo et eius effectu,* capitulo *Maiores* [8], in

[1] C 1 *de haeret.* X V, 7.
[2] Sess. *revocare.*
[3] C. 2 *de haeret.* X V, 7.
[4] C. 3 D. 83 et 5.
[5] Ed. addit: *Qui fuit magister Ioannis Scoti.* Erf. *Guilelmus Scotus.*
[6] Potius q. 1; c. 9 C. XXIV q. 1.
[7] C. 9 C. VII q. 1.
[8] C. 3 de baptismo et eius effectu, X III, 42.

principio, et 24 q. 1 [1]: *Quoties* et 17 d. [2]: *Huic (soli) sedi.* Et in tantum hoc privilegium est proprium soli romano pontifici, quod expresse « in haeresim prolabitur quicumque ab eo illud auferre conatur », ut probatur 22 d. [3]: *Omnes.* Sed clarum est, quod apud scholasticos diversae sunt opiniones de ista quaestione, ut patet per doctores, qui in scriptis suis, sive istam partem sive illam teneant, semper tamen ambas recitant opiniones et neutram dicunt erroneam, quamvis unus approbet tanquam meliorem et tutiorem istam, alius vero illam; et sic facit dominus frater Bonaventura, qui fuit cardinalis episcopus Albanensis, in suo scripto super III librum sententiarum [4] et duo supradicti doctores: ergo quicumque in publico praesumit asserere hanc partem vel illam esse erroneam vel hanc partem esse determinatam et certam aut aliquid aequipollens, aufert summo pontifici et usurpat privilegium proprium ecclesiae romanae; et per consequens non apparet, quomodo mundus sit ab errore.

Praeterea, illud potest licite opinari absque omni periculo fidei et erroris, quod tenuerunt viri sancti doctores; sed Anselmus in libro, quem fecit de ista materia [5]; Richardus de S. Victore in sermone *De conceptu beatae Virginis*, et Alexander Nequam exponens pro ista materia illud verbum: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*, Robertus etiam, magister in theologia, Lincolniensis episcopus, et plures alii tenuerunt, quod Maria fuit ab originali peccato praeservata de facto: ergo istud sine periculo potest teneri.

Praeterea, omnes ecclesiae anglicanae et gallicanae, quae celebrant festum conceptionis, cantant in oratione, antiphonis et responsoriis [6] verba, quae non possunt salvari, nisi Virgo Maria ab originali fuerit praeservata, ut est illud: « Cordis ac vocis iubilo, laudes pangamus Domino, cuius Matris conceptio, mundum perfudit gaudio », et illud: « Da nobis quaesumus, conceptionis eius digne solemnia venerari », et illud: « Conceptum quoque pie solemnizate », et illud:

---

[1] C 12 C. XXIV q. 1 [2] C 3 D. 17. [3] C. 1 D. 22.
[4] D. 3 p. I a. 1 q. 2. [5] Cfr. supra pag. 6 n. 3.
[6] Officium illud in multis invenitur manuscriptis saec. XII et sq.; cfr. Blume et Dreves, *Analecta hymnica medii aevi*, t. V pag. 47 sq.

« Celebris dies colitur, in quo Virgo concipitur », et illud: « Conceptus hodiernus Mariae virginis venenum tersit, nexum solvit vetustae originis », et illud: « O veneranda series et beata progenies, unde *surgit ut aurora* Maria, virgo decora ». Haec siquidem et alia, quae illa die cantantur in ecclesiis valde solemnibus, nullatenus essent vera, si Virgo fuisset in originali concepta. Quomodo enim verum esset, quod eius conceptus abstergeret venenum originis vetustae aut consurgeret ut aurora? Clarum est quod non, nisi luce gratiae esset perfusa: ergo non est temere definienda sententia opposita, quin immo qui definiunt in magnam partem ecclesiae et totius christianitatis impingunt.

Amplius, illa sola censenda sunt fore determinata in fide, quae definita sunt explicite per ecclesiam esse tenenda pro fide, ut probatur 24 q. 1 c. 7 [1]: *Haec est fides,* et capite [2]: *Quoniam;* nunc autem in nullo symbolo aut concilio aut determinatione ecclesiastica quacumque haec quaestio determinata reperitur: ergo neutra pars est definita, immo quaelibet pars sane potest teneri.

Nec obstat, quod ab aliquibus dicitur sanctorum dicta fuisse in quodam concilio confirmata, ut probatur 15 d. c. [3]: *Sancta;* ibi enim sancta synodus confirmat dicta sanctorum Augustini, Hieronymi et aliorum, quos enumerat; quatuor autem concilia recipienda sunt a cunctis catholicis sicut quatuor evangelia, secundum quod dicitur in eadem d. [4] c: *Sicut sancta.* Et ita videretur haec opinio tanquam certa conclusio et praedicatio fidei per ecclesiam et concilia confirmata et definita, scilicet quod Maria originale contraxit, propter hoc, quod dicta sanctorum ita definiunt et docent. Hoc siquidem non obstat propter tria: primo quidem quia esto, quod sanctorum dicta confirmata sint per concilia, nihilominus omnia dicta sanctorum non sunt tenenda pro fide aut praedicatione ecclesiae orthodoxae, tum quia contradictoria oporteret tenere pro fide, cum Augustinus dicat [5], quod Petrus erat vere reprehensibilis in observando legalia, et Paulus

---

[1] Potius c. 14 C. XXIV q 1. [2] C. 25 C. XXIV q. 1.
[3] C. 3 D. 15. [4] C. 2.
[5] E. g. *Epist.* 82 (alias 19), c. 3 n 24 et XIX *Contra Faust. Manich.*, c. 17.

ipsum iuste et rationabiliter reprehendit [1], ad Galatas 2 [2]; Hieronymus [3] vero dicit, Petrum non fuisse reprehensibilem, sed Paulum peccasse et praesumtuose egisse principem apostolorum reprehendendo. Hieronymus [4] etiam dicit, quod per matrimonia contracta ante baptismum non contrahitur bigamia, et Augustinus [5] determinat totum oppositum, ut patet 26 d. c. 1 [6] et c.: *Acutius;* et in pluribus aliis sancti doctores ad invicem contradicunt, tum etiam, quia multa absurda ecclesia confirmasset, quae hodie non tenent doctores, ut quod angeli sint corporei et animalia aerea, ut frequenter dicit Augustinus [7], tum quia in *Decretis* per totum probatur auctoritatibus multis, quod dicta sanctorum possunt impugnari et etiam improbari, si videatur veritas aliter se habere, et evidenter hoc determinat Augustinus in c.: *Ego solis* d. 9 [8]; quod utique verum non esset, si omnia dicta sanctorum essent determinationes ecclesiae et praedicationes fidei orthodoxae. Ad hoc igitur in sacris conciliis dicta sanctorum per ecclesiam sunt recepta, ut ad differentiam apocryphorum et haereticorum librorum in ecclesia a catholicis secure legantur; et hic est intellectus 15 d. in *Decretis*. Secundo vero non obstat, quia dicta sanctorum sunt pro utraque parte in ista conclusione, sicut supra [9] ostensum est multis viis; propter quod adhuc remanet dubia sequendo sententiam eorum nec certa conclusio aut praedicatio orthodoxa; tertio quoque, quia dicta sanctorum in nullo obviant isti positioni, quae dicit, quod beata Virgo exstitit praeservata in hora infusionis animae a peccato originali.

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod omnia dicta sanctorum loquentium in hac materia reducuntur ad duos modos: quia vel loquuntur in genere de omni homine, quod contrahit originale peccatum, vel loquuntur in speciali de virgine Maria; illa ergo, quae loquuntur in genere, nihil omnino concludunt in Virgine, quod apparet ex multis: primo

---

[1] I *Comment. in Epist. ad Gal.* n. 15. [2] V. 11.
[3] *Epist.* 112 (alias 89), n. 9. [4] *Epist.* 69 (alias 83), n. 3.
[5] *De bono coniugali,* c. 18 n. 21. [6] C. 1 et 2 D. XXVI.
[7] E. g. IX *De civ. Dei,* c. 13 n. 2 sq. et l. XII c. 23 n. 1.
[8] C. 5 D. IX. — August., *Epist.* 82 (alias 19), c. 1 n. 3.
[9] Pag. 73.

quidem, quia supra [1] nos docuit Augustinus, quod « excipienda est Maria a regulis generalibus, ubi non congruit sanctitati ipsius et singulari gratiae sibi factae de maternitate et susceptione Filii Dei » ; secundo vero, quia necessario eam oportet excipi ab illa regula [2]: *Omnes quidem resurgemus;* quoniam, ut pie credit ecclesia, iam surrexit, et ab illa [3]: *Omnis homo mendax,* et ab illa [4]: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant,* et ab illa [5]: *Cinis es, et in cinerem reverteris,* et ab illa, quam ponit Augustinus II *De baptismo parvulorum* [6], quod omnes, quotquot fuerunt vel sunt vel erunt, pro quotidianis defectibus indigent dicere orationem dominicam: *dimitte nobis debita nostra.* Cum igitur istae regulae generales nihil arguant in Maria, nulla ratione videtur, quod debeant contra eam concludere auctoritates, quae in generali de omnibus loquuntur pro peccato originali.

Dicta vero sanctorum, quae loquuntur de ipsa in speciali, utique ad intentionem suam verum dicunt; nam ipsa in conceptione seminis concepta fuit in peccato; nam libido est illud peccatum, in quo mater eam concepit et pater genuit. Quod enim libido et actualis rebellio peccatum sit, in quo omnis homo sic genitus dicitur concipi, potest declarari ex multis: primo quidem, quia [7] dicit Ambrosius, super Psalmum [8], et recitat Augustinus [9], I libro *Contra Iulianum:* « In iniquitate concipimur; nec enim conceptus exsors est iniquitatis, quoniam et parentes non carent lapsu » ; et infra: « Concipimur in peccato, in labe parentum et in delictis eorum nascimur; sed et ipse partus habet contagia sua; materni enim dies conceptus sine peccato non sunt ». Secundo vero, quia dicit Augustinus [10] exponens illud Psalmi: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea,* quod in peccatis libidinis, id est in concupiscentia, quae peccatum est, conceperat eum mater. Tertio quoque, quia Gregorius, XI *Moralium* [11] in fine, exponendo

---

[1] Pag. 58 nota 5. [2] I Cor. 15, 51. [3] Ps. 115, 2.
[4] Ps. 13, 3. [5] Gen. 3, 19. [6] C. 3 n. 3 et c. 4 n 4.
[7] *Apologia David,* c. 11 n. 56. [8] Ps. 50, 6. [9] C. 3 n. 10.
[10] Cfr. *Enarrat. in Ps. 50,* n 10. [11] C. 52 n. 70.

illud verbum [1]: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* dicit, quod « homo habet immunditias, quas nimirum traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis conceptio immunda est » ; et concludit, quod « solus Christus in carne sua vere mundus exstitit, qui per carnalem delectationem non venit ». Quarto vero, quia Bernardus expresse vocat peccatum, in quo mater concipit, libidinem in *Epistola ad Lugdunenses*, cum dicit [2]: « inter amplexus maritales quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit » ? Quinto quoque, quia Anselmus, II *Cur Deus homo* [3], reddens rationem, quare Christi conceptio sine peccato fuit, dicit, quod « illius hominis conceptio munda fuit absque carnalis delectationis peccato ». Sexto vero idem apparet rationibus, tum quia concupiscentia habitualis est peccatum originale, ut expresse dicit Augustinus ubique per totum librum *Contra Iulianum* [4]; unde dicit libro III [5], quod « concupiscentia malum est, quo malo bene utitur coniugatus », et « transit reatus per baptismum, sed remanet actus per oppositum ad peccata actualia, in quibus transit actus et remanet reatus [6] » ; et in VI libro concludit [7], quod « concupiscentia est qualitas mala ingenita homini, quam dico vitium, quo *caro concupiscit adversus spiritum* [8], quod malum per se ipsum tam magnum est, ut ad hominis damnationem atque ad regni Dei separationem sufficiat, nisi remedio regenerationis pellatur ». Cum igitur actus mali habitus utique malus sit, manifeste apparet, quod actualis concupiscentia, quae est inter amplexus maritales, est actus vitiosus et malus; tum etiam, quia de actuali rebellione, esto, quod homo non consentiat, confitetur quasi de vitio turpi ac peccato; et universaliter haec est intentio [9] Augustini, *Contra Iulianum*, Iuliano defendente concupiscentiam actualem et libidinem tamquam bonam et imponens Augustino, quod esset Manichaeus, pro eo quod dicebat [10] illam vitiosam et malam. Sed non obstante haeresi Iuliani dicendum est, quod etiam vir et

---

[1] Iob 14, 4. [2] Epist. 174 n. 7.
[3] C. 16. [4] E. g. l. II c. 3 n. 5 et l. V c. 3 n. 10.
[5] E. g. c. 24 n. 54 et c 26 n. 66.
[6] VI *Contra Iulian.*, c. 19 n. 60 et I *De nuptiis et concup.*, n. 29 sq.
[7] C. 18 n. 55. [8] Gal. 5, 17. [9] Sess. et ed. *contentio.*
[10] Lib. I *Contra Iulian.*, c. 2 n. 4 et c. 3 n 5.

uxor semen [1] generant et concipiunt in peccato, hoc est in libidine et vitiosa concupiscentia actuali. Nec obstat huic, quod actus matrimonialis meritorius est et sine omni peccato personarum; stant enim simul vitium naturae et meritum personae, sicut apparet in patiente stimulos carnis cum displicentia et sine consensu; unde vir et uxor merentur utendo malo concupiscentiae et peccato naturae ad bonum prolis generandae. Nec etiam obstat, quod semen non est susceptivum peccati; hoc utique verum est; sed natura parentum ipsa est susceptiva libidinis et peccati, in quo fit conceptio seminis. Haec autem libido appellatur originale peccatum respectu prolis causaliter, quoniam ex ipsa transcribitur habitualis concupiscentia et similis turpitudo in prole, nisi divina potentia gratuito praeservetur.

Dicta ergo sanctorum ad hanc intentionem currunt de plano, quod virgo Maria, immo et omnis, qui per concubitum maris et feminae generatur, concipitur in peccato, quia in libidine, loquendo de seminis conceptione; quod autem ipsa iram inde contraxerit quantum ad animam et concupiscentiam quoad carnem, nullus unquam testatur.

Et ut in speciali per auctoritates singulas in sequentibus discurratur, in hoc praesens capitulum terminetur.

Capitulum VI.

In quo solvuntur auctoritates et rationes in primo capitulo inductae.

Ultimo igitur solvendae sunt auctoritates et rationes supra in primo capitulo introductae; quinimmo ostendendum est, quod ad aliam intentionem non currunt, nisi ad illam, qua conceditur, Virginem fuisse conceptione seminis in originali conceptam.

1. Ad 1 enim dicendum est, quod auctoritas illa apostoli dicentis, quod *non est distinctio, quin omnes peccaverint et egeant gratia Dei*, intelligenda est, quod omnes utique peccaverunt de iure et quantum est ex natura, excepto Christo; de facto autem omnes peccaverunt, excepta Maria, quae

[1] Ass. *simul;* ed *foetum.*

praeservata est ob reverentiam Christi, et nihilominus ipsa eguit gratia Dei, immo plus indiguit, ut superius dicebatur.

2. Ad 2 dicendum, quod *per unum hominem, in quo omnes peccaverunt, intravit peccatum* in omnibus quidem et de iure et de facto; in sola autem Virgine de iure, non de facto, dilecto Filio suo ipsam misericorditer praeservante et redimente, sicut decebat.

3. Ad 3 dicendum, quod in tot diffudit se peccatum Adae de facto vel de iure, in quot iustificatio Christi, qui alios liberavit post contractum peccatum de facto; Virginem vero Matrem, ne incideret in ipsum de facto, praeservavit.

4. Ad 4 dicendum, quod illa auctoritas: *Conclusit* Deus *omnia sub peccato,* loquitur expresse de peccato actuali, a qua tamen generalitate nullus fidelis dubitat exceptam esse Mariam; ex quo apparet, quod regulae generales nihil concludunt in ista materia.

5. Ad 5 dicendum, quod notanter apostolus dicit: *Eramus natura filii irae,* ut innueret, quod absque omni indecentia aliquis esse poterat filius divinae amicitiae de gratia; unde et Maria fuit filia irae, quantum est ex natura, sed praeservata ab ira de gratia speciali.

6. Ad 6 dicendum, quod illa regula generalis: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt,* cum loquatur de peccato actuali, expresse confirmat, quod regulae generales locum sibi non vindicant in Maria; unde in fine dicit: *Non est timor Dei ante oculos eorum,* quod nullo modo potest Virgini convenire.

7. Ad 7 dicendum, quod illud verbum: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea,* aperte loquitur de conceptione seminis et de peccato libidinis et immundae conceptionis, in qua utique Anna et Ioachim Virginem genuerunt; non tamen ex hoc sequitur, quod in hora animationis contraxerit labem concupiscentiae quoad carnem nec iram Dei aut odium quantum ad animam, quin Deus potuerit eam decenter, si voluerit, praeservare.

8. Ad 8 dicendum, quod glossa dicit, verbum illud: *Virum de mille unum reperi, de mulieribus non inveni,* intelligendum est de peccato actuali; unde loquitur de labilitate et instabilitate mulierum et pronitate ad peccandum; et ideo constat, quod illa auctoritas in proposito nihil concludit.

9. Ad ultimum dicendum, quod *omnes in Adam moriuntur* de iure et de facto, praeter Virginem, quae de iure mortua est, non de facto, quoniam vivificata fuit per Christum.

Nec obstat, quod dicit apostolus: *Insipiens, quod seminatur, non vivificatur, nisi prius moriatur;* hoc enim, etsi verum habeat de semine corporali et de corpore hominis vivificando post resurrectionem, non tamen verum habet in prima origine quantum ad esse naturae, quia non prius puer moritur quam vivificetur [1]; quantum autem ad esse gratiae utique verum est in omnibus, qui prius moriuntur per originalem culpam, quam vivificentur per gratiam. Deus autem potuit facere oppositum in Maria, quae sic excipitur a legibus communibus, quod non ex hoc minus verae sunt et remanent regulae generales.

Consequenter dicendum est ad ea, quae obiiciuntur ex dictis Augustini.

1. Ad 1 quidem dicendum, quod illud verbum: « Firmissime tene et nullatenus dubites etc. », non plus tangit Mariam quam illud, quod paulo post 29 c. idem Augustinus [2] subdit: « Firmissime tene et nullatenus dubites, omnibus hominibus, bonis et malis, resurrectionem carnis in adventu Domini futuram esse communem »; constat autem, quod hoc verbum non tangit Mariam, de qua pie tenet ecclesia, et ipsemet determinat, quod resurrectio ipsius non est futura, immo laetatur cum Filio in anima et corpore gloriosa. Et praeterea, si hoc verbum locum haberet in ea, non solum fuisset in originali concepta, immo et nata, quod est contra determinationem ecclesiae. Nec valet, si dicatur, quod Augustinus accipit hic [3] nasci pro concipi in utero, quoniam ista tria distinguit in hoc verbo: concipi per concubitum, nasci cum originali et ob hoc filium irae nasci, quod non esset, nisi intenderet ista dividere: concipi, nasci in utero et nasci in mundo. Et praeterea, expresse dicit: *natura omnes nasci filios irae,* ut innuat, quod de gratia potest aliquis vel aliqua fore, non natura [4].

[1] Ass. legit *quia puer prius non moritur ut postea vel quam vivificetur.*
[2] Potius Fulgentius, *De fide ad Petrum,* c. 29 n. 72.
[3] Scilicet Fulgent., *De fide ad Petrum,* c. 26 n. 69. [4] Ed. *nata.*

2. Ad 2 dicendum, quod Augustinus dicit, carnem Mariae conceptam fuisse secundum rationem seminalem in vulnere praevaricationis, qui est fervor libidinis, et per consequens conceptam fuisse conceptione seminis in peccato; sed nunquam ibi asserit, eam inde traxisse concupiscentiam in carne propria aut in anima iram Dei.

3. Et per idem patet ad tertium.

4. Ad 4 dicendum, quod illa auctoritas Augustini ostendit, Christum esse agnum et innocentem de iure et de facto, pro eo quod non est conceptus in libidine, ut aliquo iure in ipsum macula transfundatur; omnes autem alii, etiam virgo Maria, quia concepta in libidine et iniquitate parentum, ut supra [1] dictum est, referendo iniquitatem non ad demeritum personarum [2], sed ad turpitudinem naturae, ipsa, inquam, et omnes alii fuerunt de iure peccatores et indigentes redemptione Agni praedilecti de iure a peccato immunis, qui quidem redemit ceteros post lapsum, Matrem vero, ne laberetur.

5. Ad 5 dicendum, quod illa verba Augustini, I *De baptismo parvulorum*, sunt generalia, a qua generalitate excipienda est Maria propter rationes iam dictas.

6. Ad 6 similiter dicendum, quod nomina exclusiva relinquunt oppositam universalem, ut: solus Socrates currit: igitur nullus currit, nisi Socrates; si igitur solus Christus fuit sine peccato, omnes alii fuerunt cum peccato, et ideo idem iudicium est de utrisque; propter quod excipienda est Maria, ut dictum est. — Vel dicendum, quod ista singularitas, quae Christo attribuitur in hac auctoritate et in plerisque aliis, cum dicitur, quod solus fuit sine peccato, refertur ad praecipuitatem iuris, quia nullus alius fuit sine peccato de iure; vel ad causalitatem liberationis, quia nullus a peccato redimitur nisi per ipsum, secundum illud Augustini, I *De baptismo parvulorum* [3]: «Universa tenet ecclesia, omnes filios mulieris, quae serpenti credidit [4], non liberari *a corpore mortis huius* [5], nisi per filium Virginis, quae angelo credidit [6], ut sine libidine fecundaretur».

---

[1] Pag. 63.
[2] Ass. *meritum parentum*.
[3] C. 28 n. 56.
[4] Cfr. Gen. 3, 1-6.
[5] Rom. 7, 24.
[6] Cfr. Luc. 1, 26-38.

7. Ad 7 dicendum, quod Augustinus, II *De baptismo parvulorum*, movet quatuor quaestiones[1]: primam videlicet, utrum aliquis homo possit vivere in hac vita sine peccato actuali, et respondet, quod sic, per gratiam Dei et suum liberum arbitrium; secundum vero, utrum unquam aliquis fuerit, sit vel erit sine peccato actuali, et respondet, quod non, iuxta illud Psalmi[2]: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens;* et illud[3]: *Tu dimisisti iniquitatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Unde sicut ibidem[4] deducit, tam Moyses quam Samuel, tam Iob quam Daniel et ceteri prophetae, tam Paulus quam apostoli, quicumque in hac vita divinarum scripturarum testimoniis praedicantur et quicumque post eos sunt vel fuerunt vel erunt, omnes, quantumcumque magni vel iusti, opus habent dicere orationem dominicam: *Dimitte nobis debita nostra,* et neminem excludit praeter Christum. Tertiam quoque quaestionem consequenter subiungit, quae est causa, quare non sit aliquis homo inventus de facto sine actuali peccato, cum possit per gratiam et liberum arbitrium vitare omne peccatum, ut in prima quaestione determinavit, et respondet[5], quod hoc est propter ignorantiam et infirmitatem voluntatis humanae, quae inflicta sunt ex originali peccato. Quartam vero quaestionem movet quoad originale, utrum aliquis sit vel fuerit vel erit sine ipso, et respondet[6], quod «nullus praeter Christum»; ex quo evidenter concluditur, cum in eadem latitudine determinet secundam quaestionem, quod vel virgo Maria non debet excipi a sua determinatione generali, quin peccaverit actualiter et indiguerit oratione dominica: *Et dimitte nobis debita nostra,* et oraverit pro impietate *in tempore opportuno,* quod utique non est verum, etiam secundum Augustinum, in libro *De natura et gratia*[7], quia non peccavit unquam nec venialiter nec mortaliter; aut si ab ipsa excipitur, quae loquitur generaliter, etiam ab ista excipietur, quae loquitur de originali, quantumcumque universaliter proferatur.

8. Ad 8 dicendum, quod illa auctoritas non concludit, Virginem fuisse infectam originali peccato propter duo: primo

[1] Scil. c. 6 n. 7 sqq. [2] Ps. 142, 2. [3] Ps. 31, 5.
[4] C. 10 n. 12 sqq. et 14 n. 21. [5] *Loc. cit.* c. 16 n. 26.
[6] *Ibid.* c. 20 n. 34. [7] C. 36 n. 42.

quidem, quia caro Virginis dicta est caro peccati propter libidinosam conceptionem et concupiscentiam, in qua conceptione seminis est concepta, non propter concupiscentiam [1], quae fuerit in ea; secundo vero, quia Augustinus ibidem alternative dicit, quod carnem illam, quam Deus de Matre suscepit, aut suscipiendo mundavit in die incarnationis aut suscipiendam mundavit; quod utique verum est et ab omnibus concessum; ante enim mundavit eam, quam assumsit; et tunc restat quaestio: quando? utrum videlicet in instanti conceptionis an post [2]? et cum neutrum determinet Augustinus, patet, quod ex illo verbo nihil potest concludi.

9. Ad ultimum dicendum, quod ista conclusio finalis II libri *De baptismo parvulorum*, in qua videtur dicere Augustinus, quod haec sit indeclinabilis fidei confessio, unum solum esse natum sine peccato, apparet evidenter, quod non habet locum in Virgine Maria, quia illa auctoritas tria dicit: primum quidem, quod unus solus sine peccato natus est; secundum vero, quod unus solus sine peccato vixit inter aliena peccata; tertium vero, quod unus solus mortuus est propter peccata nostra. Certum est autem, quod secundum instantiam patitur in Maria, et pari ratione potest instantiam habere primum, praesertim, quia subdit Augustinus monendo, quod «non declinemus in dexteram vel in sinistram istius regulae; in dexteram autem declinare est se ipsum dicere sine peccato», ubi patet, quod loquitur de vitio actuali.

Deinde dicendum ad auctoritates aliorum sanctorum.

1. Ad illud enim Ambrosii *Super Lucam*, quod Augustinus recitat, I *Contra Iulianum*, dicendum est, quod solus Christus per omnia ex natis de femina sanctus est; et hoc utique verum est, tum quia ipse solus est omnes sanctificans, quod non fecit Maria, tum quia sanctus quoad modum conceptionis de Spiritu sancto, quo modo non fuit sancta Maria, quia in libidine concepta; et ideo notanter dicit Ambrosius [3] in praefata auctoritate, quod «nemo sanctus per omnia nisi Christus».

---

[1] Erf. *conceptionem et concupiscentiam carnis.*

[2] Ed. *aut partus.*

[3] II *Expos. in Luc.*, n. 56.

2. Ad 2 dicendum, quod illa auctoritas Gregorii, si concluderet, Mariam fuisse in peccato, concluderet utique pro hora incarnationis, quia pro illa dicit, quod ex obumbratione Spiritus sancti in se omne refrigerium mentis accepit. Et idcirco non est hoc refrigerium mentis referendum ad ardorem libidinis aut mentalis cogitationis, sed ad maiorem impossibilitatem peccandi et sequestrationem a vitiis, quomodo consuevimus dicere refrigerari aliquem, qui prius etiam frigidus erat; unde tempus dicitur refrigeratum, quando intensa est frigiditas, licet ante frigidum esset.

3. Ad 3 dicendum, quod Gregorius, XI *Moralium*, expresse loquitur de immunditia libidinis et carnalis delectationis, quae est in conceptu seminis, et a qua solus mundus fuit Dominus Iesus Christus; nam conceptus Mariae isto modo fuit immundus.

4. Ad 4 dicendum, quod iuxta verba Leonis virgo Maria indiguit Christo liberatore, quia non erat libera a reatu; in tantum ergo oportuit eam fuisse ream, in quantum indiguit de necessitate liberatore; indiguit autem liberatore, si fuit in ira de iure, ut superius dicebatur; propter quod oportuit, ipsam ream esse vel fuisse de iure. Sed factum non concluditur ex ipsa auctoritate. — Vel dicendum, quod, quia regula generalis est, excipienda est Maria, iuxta illud Ambrosii [1], quod recitat Augustinus, I libro *Contra Iulianum* [2]: « Solus Christus de Spiritu sancto natus abstinuit a peccato; *omnis enim homo mendax* [3], et nemo sine peccato nisi unus Deus [4] »; haec Ambrosius; ex quibus aperte confirmatur, cum verba ista nullum locum habeant in Maria, quod excipienda est a talibus communibus verbis.

5. Ad 5 dicendum, quod illa auctoritas Damasceni probat, Mariam fuisse in peccato etiam in hora, qua Filium concepit, quod est aperte falsum; et ideo intelligenda est sicut illa Gregorii, de qua dictum est supra in solutione secundi argumenti.

6. Ad 6 dicendum, quod illa auctoritas non est ad propositum propter multa: primo quidem, quia non sunt verba Anselmi, sed Bosonis, eius discipuli, qui frequenter in sua interrogatione assumit multa falsa; et propter hoc illud ver-

[1] In *Comment. in Isaiam* (cfr. August., *De nuptiis et concupisc.*, c. 35 n. 40). [2] C. 3 n. 11. [3] Ps. 115, 11.
[4] Ps. 13, 3: *Non est qui faciat bonum, non est nisi ad unum.*

bum non habet auctoritatem, praesertim, quia Anselmus illud verbum in sequentibus non confirmat et quia ex aliis verbis eiusdem contrarium supra conclusum est evidenter; secundo vero, quia aperte ibi loquitur de peccato libidinis et delectationis carnalis, sine qua Christum dicit fuisse conceptum, Mariam autem in iniquitatibus et maternis peccatis, quia in concupiscentia utriusque parentis; tertio vero, quia ipse dicit, eam natam in originali peccato, quod est aperte contra ecclesiam, quae solemnizat de nativitate Virginis, quae quidem nativitas, si intelligatur in utero, pari ratione referri potest ad conceptionem seminis, cum nasci et concipi aequaliter dicantur; quarto vero, quia non dicit, eam filiam irae esse unquam, sed tantum in originali peccato conceptam, et hoc originale peccatum expresse vocat carnalem delectationem, per cuius carentiam dicit mundam fuisse conceptionem solius Filii Dei et hominis Iesu Christi.

7. Ad 7 dicendum, quod Anselmus in illa auctoritate non confirmat verba discipuli, sed testatur, Virginem mundatam fuisse per Christum ante sui nativitatem, et non determinat quando, utrum in ipso instanti ipsius animationis vel post[1]; et ideo non concludit. Nec obstat, si dicatur, quod mundificatio et sanctificatio immunditiam praesupponit; non enim videtur posse mundari qui immundus non fuit, nec sanctificari qui non exstitit in peccato. Dicendum quippe, quod immo mundari proprie potest dici et etiam sanctificari qui de iure et aequitate peccatum et immunditiam merebatur; unde qui liberavit aliquem a morte, consuevit dicere: ego convivificavi aut dedi vitam tali; et praeterea, de aqua balnei calidi naturaliter optime potest quaeri, utrum fuit calefacta in sui generatione vel post.

8. Ad 8 dicendum, quod massa peccatrix, de quo assumtus est Christus secundum Anselmum, intelligitur tota natura humana, quae obnoxia erat peccato de iure et de facto in omnibus, et in Maria etiam de iure; solus autem Christus simpliciter fuit immunis.

9. Ad 9 dicendum, quod illa mundatio, quam per fidem ante conceptionem Filii Virgo est assecuta, non intelligitur mundatio a peccato; alias tunc temporis, dum Virgo credidit, iam esset in peccato, quod nullus dicit; accipitur ergo ibi

[1] Erf. *vel conceptionis.*

mundatio pro ampliori sanctitate, qua virginalis aula cooperante Spiritu sancto tunc praeparata est, ut dignum Filii habitaculum effici mereretur.

10. Ad 10 dicendum, quod expresse Bernardus intelligit de conceptu seminis, quia dicit, Mariam « non fuisse sanctificatam inter amplexus maritales, ubi libido non defuit »; unde concedenda est sua auctoritas, quod Maria fuit concepta in peccato, hoc est in libidine et turpitudine concupiscentiae, sicut concessum est supra [1]. Sanctificata autem fuit secundum eum in utero iam exsistens post conceptum illum, qui fuit inter maritales amplexus. Et, quia non determinat, quando exsistens in utero fuit sanctificata, utrum videlicet in instanti, quo primo exstitit, vel post, ideo non apparet ex intentione [2] Bernardi, quin fuerit sunctificata in hora animationis. — Nec obstat, quod postmodum subdit, « Virginem accepisse sanctificationem, quae excluso peccato sanctam fecit nativitatem, non tamen conceptionem »; loquitur enim ibi de peccato libidinis, de quo paulo superius [3] dixit: « Quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit »? Et haec siquidem libido sic impedita est et exclusa divina virtute, quod carnem Virginis et animam non infecit; et tamen infecisset sibi ipsi relicta. Et ideo dicit Bernardus, « nativitatem Mariae fuisse sanctam, non tamen conceptionem ». — Non obstat etiam, quod consequenter dicit, quod nulli hominum datum est cum sanctitate concipi nisi Christo, qui solus absque peccato veniens habuit praerogativam sancti conceptus. Apparet siquidem evidenter, quod loquitur de conceptu absque libidine et ex Spiritu sancto; solus enim Christus ita conceptus est, ceteri vero in turpitudine et in peccatis maternis iuxta illud verbum prophetae [4], quod allegat ibidem Bernardus: *In iniquitatibus concepit me mater mea.* — Nec obstat etiam, quod concludit [5], hoc esse praesumtuosum, temerarium, superstitiosum et leve; ibi enim non loquitur nisi referendo ad conceptum seminis libidinosum et turpem, de quo quidem superstitiosum esset festum agere habendo respectum ad ipsum; quomodo vero

---

[1] Pag. 83 ad 1.

[2] Ass. continuat: *verum esse, quod fuerit sanctificata post animationem.*

[3] N. 7. [4] Ps. 50, 6. [5] N. 9.

absque superstitione festum fieri possit, dicetur inferius. — Quod vero Bernardus dicit, Virginem libenter hoc honore carere, videlicet sanctitate conceptus, hoc utique verum est, quia nec decuit nec debuit aliter concipi quam in libidine et ex concubitu viri et mulieris; quia tunc non fuisset etiam sub peccato de iure, et per consequens non indiguisset gratia Redemptoris.

11. Ad 11 dicendum, quod a Virgine *aufertur rubigo* originalis peccati, *et sic egreditur vas purissimum;* auferetur, inquam, aut in primo instanti animationis aut post; et neutrum determinat Bernardus, et ideo hoc vel illud absque periculo potest teneri.

12. Ad ultimum dicendum, quod intentio Bernardi non currit ad aliud, nisi quod conceptio Virginis fuit maculosa et immunda et libidinosa, loquendo de seminis transfusione; sed quod caro eius fuerit infecta aut anima odita alias quam de iure, non videtur fuisse suae intentionis.

Postmodum respondendum est ad ea, quae inducuntur ex glossis.

1. Ad 1 ergo dicendum, quod *omnes peccavimus* in Adam, qui secundum rationem seminalem fuimus in eo; peccavimus quidem vel de iure et de facto simul, vel de iure tantum, sicut virgo Maria.

2 et 3. Et per idem patet ad secundum et tertium, vel[1] dicendum, quod, cum illae regulae sint generales, non comprehendunt Mariam.

4. Ad 4 dicendum, quod Magister sententiarum vocat carnem Virginis fuisse obnoxiam peccato, quantum est de iure, et quia concepta fuit in peccato libidinis et rebellionis; alioquin, si intelligeret, quod actu esset sub peccato, cum Spiritus sancti operatione mundata fuerit, ut Filius conciperetur, sequeretur, quod in illo tunc esset peccatrix Maria, quod nullus unquam dixit.

5. Et per idem patet ad 5.

6. Ad 6 dicendum, quod auctoritas se ipsam exponit; ait enim, quod sola caro Christi non est caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit; ex quo

[1] Ass. *ubi.*

innuit, quod loquitur de peccato concupiscentiae et libidinis, in quo concepta est omnis caro omnium hominum aliorum a Christo, etiam caro Mariae.

7. Ad 7 dicendum, quod illa glossa, quae dicit animam Christi unicam, quia sola fuit sine peccato, intelligenda est, quod sola fuit de iure et de facto sine peccato; vel dicendum, quod non comprehenditur Maria, quia est regula generalis, ut supra [1].

8. Ad 8 dicendum, quod evidenter illa glossa generalis est, et loquitur de peccato libidinis, quod concurrit in conceptione carnis Mariae; nec amplius auctoritas illa concludit, nisi quod concessum est supra [2].

9. Ad ultimum dicendum tripliciter: primo, quod illa glossa Ioannis non est authentica, glossae enim a doctoribus frequenter reprobantur; secundo vero, quod loquitur de conceptione seminis, et vocat originale peccatum concupiscentiam et libidinem, in qua concepta est caro Mariae, de quo conceptu dicit, festum non esse celebrandum; tertio quoque, quia, cum hoc non sit verum, immo per contrariam consuetudinem abrogatum (fit enim festum communiter de Virginis conceptione), evidenter apparet, quod illud non est approbatum, quod assignat pro causa, videlicet, quod sit in originali concepta.

Denique ad rationes respondendum, quae superius inducuntur pro argumentis ad probandum, quod fuerit in originali concepta.

1. Dicendum enim ad primam per interemptionem minoris, quia et Virgo maxime indiguit redimente, et active et meritorie: active quidem Dei potentia, qua praeservaretur et redimeretur ab ea; meritorie vero totius vitae Christi ac passionis ipsius efficacia, quae promeruit, ut haec gratia fieret Matri suae: et ita solus Christus est, qui non indiget redemptore aut mediatore inter se et Deum; omnes autem alii indiguerunt, prout testatur Augustinus in libro *De perfectione iustitiae* [3].

2. Ad 2 dicendum, quod dato, quod Virgo non fuerit de facto in originali concepta, adhuc nihilominus Christo suum

[1] Pag. 84 ad 4. [2] Pag. 86 ad 10.
[3] C. 21 n. 44.

sanctitatis privilegium reservatur, quia ipse solus de iure et de facto est immunis a peccato, Virgo autem sub eo, non de iure, sed de facto.

3. Ad 3 dicendum tripliciter: primo quidem, quod Virgo excepta fuit ab aliqua poenalitate, quae debetur pro culpa originali, videlicet ab incineratione et putrefactione carnis; et ideo non est mirum, si fuit excepta etiam a culpa de facto; secundo vero, quia huiusmodi poenalitates, etsi inflictae sint propter culpam originalem, tamen sequuntur naturam humanam sibi ipsi relictam; unde et Christus fuisset senio confectus et mortuus, secundum doctores [1], et caro eius incinerata, nisi fuisset miraculose praeservata; omne enim compositum ex contrariis corrumpitur naturaliter [2], si sibi ipsi relinquatur; tertio vero, quia virgo Maria, quantum fuit ex natura et de iure, et culpam originalem et poenalitates debitas illi culpae utique incurrisset, nisi ex misericordia et ex mera Dei gratia praeservata fuisset; nunc autem Deus potuit sibi facere gratiam quoad ipsam culpam et poenalitatem unam vel duas, videlicet incinerationem et putrefactionem, non faciendo gratiam quoad alias, quae sunt mors, fames et sitis etc.; et hoc fieri debuit, tum quia valent ad exercitationem et meritum, tum quia minus habent de turpitudine, tum quia in Christo etiam illas reliquit.

4. Ad 4 dicendum, quod ratio clausionis ianuae paradisi est originale peccatum, et ideo qui de iure originale contraxit, de iure clausa ianua sibi fuit. Indiguit ergo necessario Maria reseratione ianuae, quia clausa erat sibi de iure. Quod si dicatur, eam de facto, si fuisset mortua ante passionem Christi, debuisse intrasse paradisum, etiam de facto nec descendisse ad limbum, dicendum, quod pari ratione, si ponatur fuisse purgata post animationem, de facto ex tunc debuisset evolasse ad caelum; et beatus Ioannes Baptista, qui fuit sanctificatus in utero, non debuit secundum hanc rationem descendere ad limbum; et ideo dicendum, quod, quantumcumque merito passionis Christi peccatum originale fuerit deletum in aliquibus redimendo post factum, in Virgine autem praeservando a facto, nihilominus, donec fuit passio exhibita, non fuit ianua reserata.

[1] Cfr. glossam in Hebr. 9, 27 et Bonav., III Sent. d. 16 a. 1 q. 3.

[2] Aristot., *I Phys*, c. 3.

5. Ad 5 dicendum per interemptionem maioris, quod immo in eodem instanti potest aliquis incipere esse et habere bene esse, et per consequens nasci in esse naturae et perfici ac renasci in esse gratiae, ut superius [1] ostensum est.

6. Ad 6 dicendum, quod nullo modo decuit, quod Christi humilitas se extenderet ad assumendum peccatum vel ad assumendam carnem de muliere peccatrice, alioquin non debuit de Virgine incarnari; propter quod dicendum, quod, licet «ad liberandum suscepturus hominem non horruit Virginis uterum [2]», nihilominus horruit in ea omne peccatum. Et de mortali quidem ac veniali non est dubium; quare et de originali videtur idem esse tenendum, praesertim cum sit detestabilius et horribilius quam veniale. Nec obstat auctoritas Hieronymi, quae pro confirmatione inducitur; nam pro peccatoribus veniens de peccatricibus voluit nasci avis et proavis, non tamen de peccatrice matre.

7. Ad 7 dicendum, quod Virgo ex concubitu maris et feminae debuit nasci; nam si non fuisset concepta ex semine et in libidine concupiscentiae, fuisset immunis ab ira Dei de iure, et sic non indiguisset reconciliatione, nec Christus omnes homines redemisset, nec effectus dominicae passionis fuisset derivatus ad eam. Tota etenim ratio secundum Augustinum [3] et sanctos, quare originale transfunditur, est libidinosus conceptus et concupiscentiae ratio [4] seminalis; non igitur debuit hunc honorem habere; hunc autem, de quo loquimur, habere potest absque praeiudicio eorum, quae dicta sunt de Christo; nec sufficienter videtur honorata fuisse, si hoc privilegio caruit, quod habere potuit absque omni praeiudicio.

8. Ad 8 dicendum, quod Dei misericordia dicitur fore maior aliquando ratione magnitudinis muneris, aliquando ex indignitate [5] munus recipientis. Si ergo loquamur de magnitudine muneris, maiorem gratiam et misericordiam Virgini fecit Deus, si praeservavit eam, ne in peccatum incideret, quam si post lapsum relevasset, quia talis praeservatio est maximum munus; si vero loquamur de indignitate munus

---

[1] Pag. 51.

[2] Ex hymno *Te Deum*.

[3] E. g. *De peccato originali*, c. 37 n. 42; *De nuptiis et concup.*, c. 24 n 27; *De fide ad Petrum*, c. 2 n. 16.

[4] Ass. *caro*

[5] Sess. *dignitate*.

suscipientis, licet maior esset indignitas respectu gratiae, si habuisset peccatum de iure et de facto, nihilominus tamen indignitatem Dei misericordia exspectare non debuit propter duo: primo, quia satis inveniebat indignitatem in ea, quae debebat esse ita de iure; secundo vero, quia in tantum munus praeservationis excedit indignitatem exsistentis in peccato de facto, quod, pensatis omnibus, maior est misericordia propter magnitudinem doni, quam tunc temporis esset ratione modi. Unde per hanc rationem maiorem misericordiam fecisset Matri, si incarnaretur ex ea exsistente corrupta, quam si esset virgo, pro eo, quod tunc esset magis indigna; quod tamen non est ponendum.

9. Ad 9 dicendum, quod nunc tenetur magis ad gratiarum actiones ratione muneris; sed tunc magis teneretur ratione suae indignitatis; hoc tamen est simpliciter maius, ut dictum est.

10. Ad 10 dicendum, quod immo congruum est, Virginem fuisse pro omni tempore mundam et sanctam, non tantummodo pro hora conceptionis Filii Dei; alioquin non debuit eam Deus ab infantia tanta diligentia custodire, ne incideret in aliquod peccatum. Unde non apparet, quare ab instanti conceptionis suae eam non praeservaverit ab omni peccato et custodierit diligenter, sicut supra dictum [1] est de panno lineo, qui, postquam infectus fuisset sordibus aut in aliquo turpi usu, non esset aptus, ut inde fieret corporale.

11. Ad 11 dicendum, quod doctores sancti in nullo contradicunt his, quae dicta sunt, ut supra patuit, exponendo auctoritates eorum ad verum sensum et rectam intentionem.

12. Et per hoc patet responsio ad 12.

13. Ad 13 dicendum, quod haec consequentia optima est in proposito et tenet gratia misericordiae [2], quod apparet per Augustinum, qui sub eisdem verbis ponit eam in sermone *De assumtione* [3], dicens: « Si Christum hoc facere posse nullus du-

[1] Pag. 58.

[2] Ed. *materiae*.

[3] C. 8 dicit: « De cuius (scil. Christi) potestate si nullus dubitet ecclesiasticorum, quin *possit* Matrem sine corruptione in perpetuum servare, cur dubitandum est *voluisse*, quod attinet ad tantae benignitatis gratiam?... Christus autem *Dei Virtus est et Dei Sapientia* (I Cor. I, 24), cuius sunt omnia, quae Patris, omnia sunt quae sunt velle; *velle* autem omnia, quae sunt *iusta* et *digna*. *Ac per hoc* videtur digne laetari Maria laetitia inenarrabili anima et corpore » etc.

bitat, cur dubium est, quod non velit et conveniat, ac per hoc, cur non sit»? Ex quo clare patet, quod ipse loquendo de Virgine utitur ista consequentia: Deus potuit Matri Virgini facere istam gratiam; et si potuit, decuit et congruum fuit; et si decuit, factum fuit; et idcirco haec consequentia non est derisoria nec frivola aut inanis, quae ortum habuit a tanto doctore, quantus est Augustinus. — Quae autem in oppositum inducuntur, quod multa Deus potest facere, quae non decent, ut episcopare homines fatuos et similia, patet, quod in nullo procedunt, quia haec consequentia tenet gratia misericordiae[1] in proposito nostro; multum enim est decens, quod quidquid sibi potuit Deus impendere gratiae et honoris, totum impenderit, quam ad gratiam summam divinae maternitatis provexit. — Nec obstat, quod inducitur de conceptione absque semine et virili concubitu, quia, si hoc Matri dedisset, sibi ipsi redemptoris privilegium abstulisset. — Nec etiam valet, quod dicitur de Christo, quod Deus ipsum potuit a morte praeservare, et si potuerit, decuit, et si decuit, factum fuit; hoc enim falsum est, supposito, quod Deus disposuerit humanum genus redimere per mortem, sicut certum est, quod disposuit, ut nos magis attraheret ad suum amorem, pro quibus posuit propriam vitam. Non apparet autem rationabile, quod Matrem voluerit infici per peccatum, quia nec aliqua decentia aut utilitas videtur inde sequi aut honor, cum aeque plene, immo plenius, remaneat mediator, ut superius dictum fuit[2].

14. Ad 14 dicendum, quod Maria habuit causam originalis peccati, in quantum fuit concepta in libidine et concupiscentia vitiosa in conceptione seminis, et utique habuisset effectum infectionis, scilicet originalis peccati, naturaliter et de iure, nisi fuisset opere divino praeservata.

15. Ad ultimum dicendum, quod non omnia privilegia Mariae concessa expressa sunt in scriptura; unde in nulla scriptura legitur, quod fuerit sanctificata in utero et prius sancta quam nata, et tamen hoc ecclesia tenet. Nihilominus unum privilegium legitur in scriptura, videlicet, quod est Mater Dei; ex quo privilegio infert ecclesia, omnem sanctitatem, omnem honorem, omnem praerogativam sibi fuisse a Deo collatam, quae purae potest et debet tribui creaturae,

[1] Ed. denuo *materiae*.

[2] Pag. 55.

salvo honore suo; et ideo Augustinus in sermone *De assumtione* dat istam regulam [1] de inquirendis circa Mariam, « ut videatur, quid congruit rationi et dignitati ipsius ». Cum igitur superius sit ostensum, quod est decens et congruum, animam eius fuisse cum gratia creatam et carnem eius non fuisse habituali stimulo aut rebellione infectam, probabiliter dici potest, quod ita factum fuit, licet scriptura non exprimat; unde ecclesia tenet absque scripturae testimonio, quod fuit in utero sanctificata; utrum autem in instanti animationis vel post, nondum determinavit.

Et per hoc patet ad omnia, quae supra in primo capitulo fuerunt inducta, ex quibus possunt auctoritates consimiles et rationes dissolvi.

Et in hoc sextum capitulum terminatur.

Postremo vero restat concludere, qualiter ecclesia in plerisque locis de conceptione Virginis solemne festum agit. Hoc enim non videtur licitum aut securum ex multis: primo quidem, quia Bernardus hoc prohibet in *Epistola ad Lugdunenses*, vocans facientes oppositum « temerarios et praesumtuosos », ut supra [2] dictum est; secundo vero, quia romana ecclesia non facit, quae tamen ab universis est sequenda tanquam domina et magistra, ut probatur *Extra* [3], *De summa Trinitate et fide catholica*, in 3 capitulo: *Damnamus;* tertio vero, quia clarum est, quod ipsa die conceptio seminis in libidine et concupiscentia facta fuit, et ita videtur festum fieri de actu turpitudinis et peccati; quarto vero, quia non potest ad sanctificationem illud festum referri, cum sanctificari non potuerit, donec fuisset animata, quod forsitan fuit III idus ianuarii, et tamen festum conceptionis celebratur in decembri.

Sed istis non obstantibus dicendum, quod aliud est celebrare quod apparet in re, aliud quod occurrit in spe. De conceptione igitur seminis non fit festum propter semetipsum in se, sed propter Mariam, quae statim, concepto semine, offerebat se in spe; et hoc modo dicendum, quod fit festum de conceptione etiam in illa die, qua conceptum est semen, non quidem festum seminis aut conceptionis in se, sed Mariae, quae reluce-

[1] C 3. [2] Pag. 30. [3] C. 2 De *summa Trin. et fide cath.*, XI, 1.

bat in conceptione. Et quod hoc licitum sit, satis apparet, tum quia de conversione sancti Pauli et cathedra beati Petri et vinculis etiam festum agit ecclesia propter utilitatem multiplicem, quae fuit inde proventura; tum, quia occursus Mariae in semine omni devoto homini gaudium offert spirituale; unde potest devotissime exsultare et Deum in tanto dono laudare. — Nec obstat, quod dicitur de beato Bernardo; quia, licet in sui novitate hoc fuisset leve et temerarium, nisi forsitan, quia secundum aliquos revelatione angelica exstitit inchoatum, non tamen est hodie, ecclesia tanto tempore dissimulante, quae utique non dissimularet, si periculosum existimaret. — Nec etiam obstat, quod ibi fuit libido, tum quia ea non obstante putandum est, in actu illo Annam et Ioachim meruisse coronam in caelis; nam actus matrimonialis non solum potest sine peccato fieri, immo cum merito, secundum Augustinum [1]; tum etiam, quia non fit festum pro eo, quod apparet in re, sed pro eo, quod occurrit in spe. Et quod dicitur de sanctificatione, dicendum, quod non solum habendo respectum ad sanctificationem factam in utero hoc festum celebratur, sed respectum habendo ad omnem sanctitatem Virginis et excellentiam Matris Dei, de qua gaudet ecclesia, dum eam recolit quasi in spe in die conceptionis seminis sibi dari.

«Haec tamen, quae in isto toto opusculo ad honorem Virginis scripta sunt, dicta sint absque praeiudicio verius sapientis, correctioni sedis apostolicae et Romanae ecclesiae universa et singula submittendo, cuius arbitrio, dum mihi innotuerit, paratus sum, si quid aliter sapio, emendare [2]», quoniam sola ipsa caput fidei et catholicae veritatis a Christo constituta est, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen.

[1] I *De nupt. et concup.*, c. 8 n. 9.

[2] Ita Bernard., *Epist. 174*, n. 9.

REPERCUSSORIUM PETRI AUREOLI

Iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram; neque enim reprehendit me cor meum, Iob 27 [1].

Iustificationem inviolatae Virginis, quam dudum auxiliante Domino suscepimus defendendam, ne vanis latratibus quorumcumque mordacium obnubilari contingat, praecedenti tractatui de conceptione eiusdem Virginis hunc praesentem decrevimus subnectendum, qui sub octo conclusionibus continetur: *prima* conclusio est, quod appetitus sensitivus suae naturae derelictus, non est id, a quo oritur carnalis stimulus aut rebellio actualis; quin immo oritur ex qualitate aliqua vitiosa et positiva addita nostrae carnis substantiae et naturali potentiae appetitus; quae quidem qualitas est materiale in originali peccato; *secunda* vero, quod privatio originalis iustitiae non est formale in originali peccato, sed materiale tantummodo; nec materiale numerum ponens ad aliud materiale, quod habitualis rebellio appellatur; *tertia*, quod in ipso originali peccato Dei offensa formale est et Dei odium obiectivum; *quarta* vero, quod causale respectu originalis peccati non est decisio sola seminis, sed libidinosa conceptio, sine qua mulier concipere non valet in hoc statu naturae corruptae; *quinta* vero, quod originalis iustitia ibi erat subiective, ubi nunc est rebellio, in appetitu scilicet sensitivo; *sexta* quoque, quod originale peccatum ob hoc omnibus ex Adam libidinose descendentibus imputatur, quia tota natura exsistens in ipso virtualiter quodammodo in peccatum consensit; *septima* vero quod seminis alteratio et corporis formatio proprio modo loquendi dici potest conceptio, et magis proprie quodammodo susceptio seminis sola; *octava* quoque, quod totus liber de conceptione

[1] V. 6.

compositus solidus permanet nec ineptus, salva incurialitate et irreverentia contraria dicentium et oblatrantium contra conclusiones praedictas.

Conclusio I.

Quod appetitus sensitivus suae naturae derelictus non est id, a quo oritur carnalis stimulus aut rebellio actualis; quin immo oritur ex qualitate aliqua vitiosa positiva et addita nostrae[1] *carnis substantiae ac naturali potentiae appetitus; et est ista qualitas materiale in originali peccato.*

Est ergo de *lege peccati, quae* habitat *in membris*[2] hominum, ac de carnis habituali stimulo irrefragabiliter hoc tenendum, quod ipsa non est natura appetitus sensitivi sibi ipsi relicti donoque originalis iustitiae spoliati, immo est quaedam qualitas vitiosa, ita quod appetitus ex sui natura non habet, quod sit rebellis intellectui, aut quod suscitet carnis stimulos et concupiscentias actuales.

1. Huic tamen conclusioni obviare videtur, quod homines de nihilo a Deo producti adhuc delectabiliter miscerentur et paterentur stimulos carnis; unde in eis esset rebellio et pugna appetitus; sed certum est, quod hoc non esset ex qualitate aliqua vitiosa, sed ex sola conditione naturae: ergo solus appetitus sensitivus privatus originali iustitia et sibi relictus sufficit ad suscitandum stimulos et actuales concupiscentias, nec requiritur additamentum alicuius habitus positivi[3].

2. Praeterea, certum est, quod in brutis et animalibus appetitus sensitivus suscitat stimulos et concupiscentias respectu propriorum obiectorum; sed in eis non est aliquod vitium additum appetitui: ergo appetitus solus movet etiam in hominibus ad similes concupiscentias, ut videtur.

3. Praeterea, sicut se habet sensus tactus exsistens in superiori parte stomachi respectu delectabilis sibi convenientis, sic se videtur habere ad alia membra et organa, in quibus com-

---

[1] Alii *naturae*. [2] Rom. 7, 23. [3] Erf. *alicuius positivi gradus*.

plantatur [1]; sed solus sensus tactus exsistens in superiori parte stomachi ad absentiam « humidi et frigidi suscitat sitim, qui est appetitus et desiderium eorumdem »; ad absentiam vero « calidi et sicci suscitat eorum desiderium, quod est fames », secundum Philosophum, in II *De anima* [2]; nec requiritur aliquid additum, sed sola natura sufficit ad sitim et famem: ergo sola natura appetitus respectu delectationum carnalium suscitabit concupiscentiam et desiderium, qui stimulus nuncupatur.

4. Praeterea, in quacumque potentia appetitiva succedit delectatio et tristitia desiderio et fugae respectu sui obiecti, secundum Philosophum, II *Ethicorum* [3]; sed delectatio in obiecto convenienti inest appetitui sensitivo sibi ipsi derelicto absque additamento cuiuscumque alterius positivi, cum delectatio nihil aliud sit quam coniunctio convenientis cum convenienti, secundum Philosophum, X *Ethicorum* [4]: ergo desiderium delectationum carnalium et concupiscentia inest ex solo appetitu.

5. Praeterea, originalis iustitia erat quasi frenum respectu appetitus, ne posset illicite moveri; sed equus indomitus, rupto freno, recalcitrat et movetur, nullo alio acquisito: ergo appetitus sensitivus, rupto freno originalis iustitiae, absque aliquo alio positivo indomite rebellabit ad iudicium rationis.

6. Praeterea, si habitualis rebellio esset aliquid positivum in appetitu sensitivo, non apparet in primo homine, a quo fuisset impressum, cum erubescere coepit; non enim illud positivum impressit Deus, cum non sit causa alicuius mali aut habitus vitiosi; nec illud impressit vetiti fructus comestio, cum fructus ille non esset naturaliter nocivus, sed tantum quia vetitus, secundum sanctos [5]; nec illud impressit actus peccati, quo fuit inobediens Deo; quamvis enim illud fuerit meritoria causa, non tamen effectiva exstitit aut realiter impressiva: ergo rebellio, quam expertus est, non videtur nisi ex sola privatione originalis iustitiae fuisse. Unde, ut videtur, appetitus

---

[1] Duss. *copulatur*. [2] Text. 28 (c. 3).

[3] C. 5 (alias 4) et lib. IX c. 4.

[4] Ita Avicenna, VIII *Metaphys.*, c. 7 in fine; cfr. tamen Aristot., X *Ethic.*, c. 1-5 et lib. VII c. 11 sq.

[5] Cfr. e. g. *August.*, VIII *De gen. ad litt.*, c. 6 n. 12 et *Glossa ordinaria* ad Gen. 2, 9.

in Adam statim, amissa originali iustitia, rebellavit absque acquisitione cuiuslibet qualitatis.

His autem rationibus, etsi non inducantur ab aliis, videtur posse probari, quod rebellio et habitualis concupiscentia non sit aliud quam appetitus sensitivus cum privatione originalis iustitiae. Quibus tamen non obstantibus, indubitanter tenendum est illud, quod prius; quod quidem potest multipliciter declarari.

Ait enim Augustinus, libro V [1] *Contra Iulianum* circa finem, quod « aliud est sensus carnis, sine quo nullus fuit aut est aut erit in corpore vivens homo, et aliud est concupiscentia, qua caro adversus spiritum concupiscit, sine qua fuit ante peccatum primus homo, et qualem nobis exhibuit humanam naturam Christus homo »; sed clarum est, quod aliud non esset, si appetitus sibi ipsi relictus esset habitualis concupiscentia et stimulos suscitaret: ergo istud verum non est secundum mentem Augustini.

Praeterea, libro VI [2] *Contra Iulianum* asserit Augustinus, « non substantialiter manere concupiscentiam sicut corpus aliquod aut spiritum, sed esse affectionem quandam malae qualitatis, sicut est languor »; et infra: « Dixerunt quidam philosophi, esse concupiscentiam partem animi vitiosam; sed ego ipsum vitium, quo animus vel ulla pars eius isto modo vitiosa est, libidinem dico, ita ut, omni vitio sanato, salva sit tota substantia. Unde et illi philosophi locutione tropica mihi videntur vitiosam partem animi libidinem appellasse, pro eo quod in ea parte est vitium, quod vocatur libido, sicut appellatur domus pro his, quae sunt in domo ». Haec Augustinus. Sed certum est, quod mala qualitas, sicut est infirmitas vel languor, est aliquid positivum: ergo secundum mentem Augustini concupiscentia est aliquod positivum additum parti animi, quae dicitur appetitus.

Praeterea, expresse ponit ibidem [3] Augustinus, quod huiusmodi qualitas est de tertia specie qualitatis; unde vocat eam

---

[1] C. 15 n. 55.
[2] C. 18 n. 53; I *De nupt. et concup.*, c. 25 n. 28.
[3] C. 18 n. 54.

« affectionem vel affectionalem qualitatem », dicens, adversus talem qualitatem illum clamasse, qui ait [1]: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* et alloquens Iulianum sub his verbis concludit [2]: « Quapropter quantolibet adversus oculos imperitorum dialectico tegmine te involvas, manifesta veritate nudaberis. Ego tanquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum homini dico vitium, quo *caro concupiscit adversus spiritum* [3] ». Haec ille. Ex quo manifeste concluditur, quod, sicut valetudo mala, febris videlicet vel alia aegritudo, est aliquid positivum de tertia specie qualitatis, sic et concupiscentia vel rebellio habitualis; non est igitur solus appetitus sibi ipsi relictus.

Amplius, Augustinus, libro I *De nuptiis et concupiscentia* [4] dicit, quod concupiscentia, lex membrorum, est « quidam affectus morbidus sive languor », qui commovet illicitum desiderium et carnalem concupiscentiam actualem; sed clarum est, quod affectio morbida est aliquid positivum: ergo concupiscentia est aliqua qualitas positiva addita appetitui, praesertim, cum ipsa potentia appetitus non possit morbida affectio appellari; nam affectiones sunt in tertia specie qualitatis, in qua non est appetitus potentia, etiam secundum illos, qui ponunt potentias animae accidentia quaedam.

Rursum, Augustinus, VI [5] *Contra Iulianum*, dicit, quod « concupiscentia malum est, quod per se ipsum tam magnum est, quod ad hominis damnationem sufficiat, esto, quod de parentibus regeneratis trahatur »; et subdit, quod « qualitas mali non in substantiam de substantia tanquam de loco in locum migrat ut deserat, ubi erat, et quae fuit ibi, ipsa sit alibi; sed alia eiusdem generis, quodam cooperante contagio, sicut et de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus ». Haec ille. Ex quo evidenter concluditur, quod ita est de vitio concupiscentiae, sicut de aliis moribus aut aliis qualitatibus vitiosis, quas filii contrahunt a parentibus, non easdem in numero, sed in specie tantum, ne accidens migrare de uno subiecto in aliud ponatur. Clarum est autem, quod huiusmodi qualitates et mores sunt aliquid positivum superadditum po-

[1] Rom. 7, 24.
[2] N. 55.
[3] Gal. 5, 17.
[4] C. 25 n. 28 et c. 31 n. 35.
[5] C. 18 n. 55.

tentiae appetitus: ergo idem erit de concupiscentia et habituali rebellione.

Adhuc, in eodem libro [1] subdit Augustinus, quod « inest homini malum praeter actum et motum, unde surgit hic motus, quem desiderium dicimus; non enim semper est desiderium, contra quod pugnemus. Sed si tunc non est, quando non occurrit, quod concupiscatur, fieri tamen potest, ut insit qualitas mala, licet nulla sit tentatione commota, sicut inest timiditas homini timido, etiam quando non timet »; sed clarum est, quod timiditas est qualitas positiva: ergo et concupiscentia positivum quid erit, a quo consurgit motus inordinatus, qui desiderium appellatur.

Item, potentia, quae ex sui natura rebellat rationi, non est capax habitus consentanei rationi; receptivum enim debet esse denudatum a natura recepti, ut dicit Commentator II [2] et III *De anima;* sed appetitus sensitivus est capax habitus consentanei rationi, quia habitus virtuosi morales ipsum submittunt rationis imperio et obedientiae, secundum quod dicit Philosophus, I [3] et III *Ethicorum;* unde temperantiam et fortitudinem ponit in irascibili et concupiscibili appetitu: ergo potentia appetitiva ex sui natura non rebellat contra iudicium rationis.

Praeterea, « nulla res assuescit in oppositum actus illius, qui inest sibi a natura; lapis enim, qui naturaliter deorsum fertur, nunquam assuefieret ferri sursum, esto, quod decies millies superius iactaretur », ut Philosophus dicit in II [4] *Ethicorum;* sed appetitus sensitivus assuescit obedire rationi, ut experientia docet et testatur Philosophus in fine I [5] *Ethicorum,* unde vocat appetitum rationalem per participationem: ergo omnino impossibile est, quod appetitus ex sui natura sit rationi rebellis.

Amplius, appetitus virtuosi, qui sunt in appetitu sensitivo, nec sunt violenti nec praeter naturam; ait enim Philosophus,

[1] C. 19 n. 60: « Inest enim homini malum et praeter istum actum, id est praeter hunc motum, unde surgit hic motus; quem motum dicimus desiderium » etc.

[2] Scil. Averroes, II *De anima,* text. 67 et lib. III text. 4; III *De caelo et mundo,* text. 67.

[3] C. 13 et lib. III passim, praesertim c. 12, 6, 10 (cfr. lib. VI c. 2).

[4] C. 1.

[5] C. 13.

II *Ethicorum* [1], quod « praeter naturam non insunt, sed innatis quidem suscipere eas, perfectis autem per assuetudinem »; sed si appetitus ex sui natura esset rebellis rationi, virtutes essent oppositae naturae ipsius et violentantes ipsum: ergo appetitus sensitivus sibi relictus non suscitat actualem rebellionem.

Adhuc, quod ex natura sua est suadibile et obedibile rationi, ex sui natura non elicit actum obvium rationi, alias opposita inessent eidem secundum naturam; sed Philosophus dicit in fine I [2] *Ethicorum*, quod concupiscibile et universaliter appetibile participat aliqualiter rationi, secundum quod suadibile est ei et obedibile: ergo idem, quod prius.

Praeterea, manente eadem potentia appetitus, habitualis concupiscentia intenditur et remittitur, ut in incontinente intenditur, remittitur in temperante et continente; sed privatio originalis iustitiae non intenditur nec remittitur, quia aequalis est in continente et in incontinente et aequalis est in omnibus hominibus: non ergo concupiscentia est sola privatio originalis iustitiae in appetitu sensitivo.

Rursum, si appetitus sensitivus ex se et naturaliter rebellaret ad rationem, et in Christo et in corpore glorioso et in statu innocentiae mansisset habitualis rebellio, quamvis sopita et ligata; clarum est enim, quod in corpore Christi est appetitus sensitivus et tota eius natura, et similiter in corpore beati; sed absonum est dicere, quod in corpore Christi vel alio glorioso sit fomes peccati et habitualis concupiscentia, quantumcumque sopita et dormiens, quia tunc caro Christi esset caro peccati, contra apostolum et omnes sanctos: ergo habitualis rebellio non est potentia appetitus.

Adhuc, nullum accidens est frenum sui subiecti, quia non agit in subiectum, sed est magis perfectio et complementum ipsius; sed originalis iustitia erat in appetitu sensitivo subiective, ut inferius [3] ostendetur: ergo non poterat dici frenum ipsius appetitus, sed magis perfectio et complementum; non esset autem eius perfectio aut complementum, si ex natura sua contrariaretur naturali inclinationi ipsius: ergo non movetur

---

[1] C. 1: « Neque igitur natura neque praeter naturam hae virtutes in nobis acquiruntur, sed cum idonei ad ipsas suscipiendas natura simus, assuetudine perficimur ».

[2] C. 13.

[3] Pag. 125 sqq.

naturaliter appetitus ad rebellandum. Et confirmatur, quia frenum importat aliquid violentum; non est autem dicendum, quod iustitia originalis violentaret appetitum, quia nec pro statu isto virtutes violentant.

Praeterea, virtutibus moralibus in appetitu positis, aut remanet in ipso appetitu vis et inclinatio ad actum rebellionis, aut tollitur; sed non potest dici, quod maneat; quia tunc appetitus in homine virtuoso ex sui natura ferretur ad unum et virtus ad aliud, quod esse non potest, tum, quia tunc nullus esset virtuosus, sed tantum continens; nam continens dicitur qui habet concupiscentias pravas, ad differentiam temperati, secundum Philosophum, VII *Ethicorum* [1]; tum, quia de aliquibus sanctis legitur [2], quod caro eorum erat plene redacta in dominium spiritus; tum, quia tunc accidens inclinaret ad unum et subiectum ad aliud, quod esse non potest: ergo necesse est, ut detur secundum, scilicet, quod tollatur vis et inclinatio, qua appetitus rebellat ad rationem, per adventum virtutis, et per consequens, quod habitualis rebellio ab appetitu realiter distinguatur.

Amplius, absoluta delectatio aut desiderium absolutum in obiecto convenienti non est illud, quod nominatur concupiscentia vel libido, sed tantum effrenum desiderium ac improba delectatio et excedens; qui quidem excessus et attenditur penes tempus in praeveniendo et in non quiescendo iuxta imperium rationis, et attenditur penes modum nimis intensum et furiosum. Licet ergo omni appetitivae potentiae naturale sit delectari in obiecto convenienti et illud appetere, non tamen improbe, furiose et effrenate, ut patet, quod omnis homo delectatur in cibo et potu naturaliter et illa appetit, sed quod delectetur superflue, ut gluto aut ebrius, vel quod appetat, quando non indiget, sed est repletus, hoc non est naturale, immo verecundum et improbum: ergo a simili, licet appetitus in actu venereo naturaliter delectetur, quae quidem delectatio etiam in statu innocentiae permaneret, non tamen est sibi naturale, quod ita improbe, furiose et effrenate feratur, sicut fertur nunc in tempore naturae prostratae.

---

[1] C. 2.

[2] Cfr. Bonav., *Legenda S. Franc.*, c. 14 n. 1.

Nec obstant, quae superius inducuntur.

1. Ad 1 enim dicendum, quod homines, si a Deo producerentur de novo vel de nihilo vel ex trunco, non delectarentur aut appeterent excessive et improbe, etsi absolute delectarentur, alioquin posset eorum caro dici *caro peccati* et *corpus eorum mortuum per peccatum; nec habitaret in carne eorum bonum, sed malum*, et multa talia, quae apostolus dicit ad Romanos 7 [1] et 8. Unde in talibus esset lex membrorum, languor, tyrannus et similia, si istud esset verum; quae secundum sanctos non insunt nobis, nisi propter peccatum primorum parentum; et ideo in talibus de novo productis esse non debent. Vel dicendum, quod habitualis rebellio, etsi sit qualitas vitiosa, tamen oritur ex complexione, nisi impediatur per originalem iustitiam vel aliquod aliud donum additum appetitui et complexioni, sicut lignum, quod ex sui conditione est curvum; quamvis enim curvitas aliud sit a ligno, tamen, si rectificetur et postmodum relinquatur sibi ipsi, redit ad curvitatem; consimiliter si in talibus hominibus inveniretur stimulus carnis, non ex hoc probatur, quod sit idem cum appetitu actualis rebellio, quia potest esse, quod oriatur a naturali complexione.

2. Ad 2 dicendum tripliciter: primo quidem: aliud est de appetitu brutorum animalium et appetitu hominum; sensus enim, in quantum humani, aliquid percipiunt, quod tamen non percipiunt, in quantum sensus sunt in communi vel animalis, secundum Commentatorem in II *De anima* [2]; et ideo nihil prohibet, quin sic possit dici de appetitu; secundo vero, quia etiam in brutis, non est appetitus adeo improbus et effrenus, sicut est in hominibus; unde videtur, quod haec improbitas sit ex aliqua morbida qualitate; tertio quoque, quia ex hac ratione non concluditur aliud, nisi quod huiusmodi qualitas in hominibus oritur ex complexione, sicut in brutis.

3. Ad 3 dicendum dupliciter: primo quidem, quod in superiore parte stomachi non est improbus appetitus respectu potus et cibi, nisi ratione alicuius habitus vitiosi, qualis est in glutonibus et intemperatis; cum ergo improbitas elucescat in appetitu, de quo hic loquimur, evidenter concluditur, quod non est ex natura simplicis appetitus, immo ex vitiosa

[1] V. 18 sq. et c. 8, 3 et 10. [2] Scil. Averroes, text. 65 et 63.

qualitate; secundo vero, quia forsitan totus sensitivus appetitus, in quacumque parte sit, infectus est per peccatum; nam fames et sitis non fuissent in statu innocentiae, aut saltem non adeo improbe aut violenter.

4. Ad 4 dicendum, quod delectatio et tristitia moderate debentur cuilibet appetitivae potentiae per naturam; effrenatio autem et improbitas, qualis est in hominibus, non est absque habitu vitioso.

5. Ad 5 dicendum, quod originalis iustitia nullo modo erat quasi frenum respectu appetitus sensitivi, alias esset qualitas violenta et innaturalis; est ergo intelligendum, quod appetitus sensitivus sibi relictus non est obvius rationi nec obediens quantum ex se et ex sui natura. Quod ergo consonet et obediat rationi, est per habitum ipsum perficientem, qui quidem habitus erat originalis iustitia in parentibus primis, in nobis vero sunt virtutes; quod autem repugnet et rebellis sit rationi, est per habitum, qui trahitur ab origine, qualis est lex membrorum, vel per habitum, qui habetur ex consuetudine, quales sunt morales et vitiosi.

6. Ad ultimum dicendum dupliciter; primo quidem, quod huiusmodi qualitas vitiosa in primis hominibus creata fuit, demeritorie quidem per peccatum inobedientiae, impressive vero a Deo infligente eam tanquam iustam poenam inobedientiae sibi factae, secundum illud Augustini, II [1] *De baptismo parvulorum*, qui ait, quod « carnis inobedientia non erat in illis hominibus primis, quando nudi erant, pro eo, quod anima rationalis, domina carnis, nondum inobediens exstiterat Deo suo, ut poena reciproca inobedientem experiretur carnem famulam suam »; ideo subdit, quod « nobis pudendum est, quod imperio nostro caro non servit; quia hoc fuit [2] per infirmitatem, quam peccando meruimus. Vocatur quoque peccatum habitans in membris nostris; hoc enim sic est peccatum, ut sit simul poena peccati ». Haec ille. Vel dicendum secundo, quod ad ablationem originalis iustitiae statim ex carnis complexione huiusmodi vitiosa qualitas pullulavit; sicut lignum viride et recurvum, si relinquitur ab illo, qui rectificat, ipsum statim redit ad curvitatem.

Et in hoc prima conclusio terminetur.

[1] C. 22 n. 36.

[2] Text. originalis *fit*.

Conclusio II.

Quod privatio originalis iustitiae non est formale in peccato originali, sed materiale tantummodo; nec numerum [1] *ponens ad aliud, quod habitualis rebellio nuncupatur.*

Quod vero ab aliquibus dicitur, originale peccatum esse privationem originalis iustitiae secundum suum materiale, formale [2] autem ipsam rebellionem, omnino stare non potest; immo indubitanter dicendum est, quod utrumque materiale est et unum materiale.

1. Huic tamen obviare videtur, quod unumquodque definitur per id, quod est formale in eo. Definitur autem peccatum originale ab Anselmo, *De conceptu virginali* [3], quod « est privatio originalis iustitiae cum debito habendi eam »: ergo huiusmodi privatio est formale, ut videtur, in originali peccato.

2. Praeterea, originale peccatum et originalis iniustitia idem sunt; sed iniustitia non est nisi sola carentia, nulla essentia penitus, secundum Anselmum, *De conceptu virginali* c. 3 [4], qui ait, quod « iniustitia non est aliud quam carentia iustitiae debitae »; et c. 4, quod « iniustitia nulla essentia est, cum omnis essentia sit a Deo »; et c. 5 ait, quod « iniustitia omnino nihil est, sicut caecitas, et quod nullam habet essentiam »: ergo peccatum originale formaliter privatio et carentia dici debet.

3. Praeterea, peccatum et malum non est aliquid positivum, sed sola privatio boni, ut Ambrosius dicit, *De verbis apostoli* [5], quaerens: « quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit substantia, sed privatio [6] boni »? Et Augustinus, *Super Ioannem* [7], dicit, quod « peccatum nihil est »: ergo formale in omni peccato erit privatio alicuius boni. Et ita privatio boni originalis, quod fuit iustitia et rectitudo, est originale peccatum formaliter, ut videtur, sicut et privatio

---

[1] Sess. *in numerum*
[2] Sess. legit: *secundum suum formale, materialiter autem ipsam* etc.
[3] C. 3.
[4] P. L. 158, 436 et 438.
[5] *Comment.* ad Rom. 7, 18 (int. op. Ambros.).
[6] Alias *praevaricatio.*
[7] *Tract.* 1 n. 13.

alicuius boni actualis est peccatum actuale secundum formam; unde peccatum luxuriae non est nisi privatio boni castitatis, et sic de aliis vitiis.

4. Praeterea, sub genere privativo nihil formaliter constituitur nisi per privationem; sed malum et peccatum sunt genus privativum, cum malum et bonum opponantur, sicut habitus et privatio, secundum Philosophum, X *Metaphysicorum*[1]: ergo nihil est sub peccato formaliter nisi per privationem: quare privatio, ut videtur, est in originali formale.

Sed his non obstantibus, dicendum est id, quod prius, quod quidem apparet ex multis. Manente enim formali alicuius in subiecto, manet et id, cuius est formale; nam impossibile est, albedinem esse in superficie, quin superficies sit alba; sed privatio originalis iustitiae manet, non manente peccato, sicut patet in parvulo baptizato et etiam in adulto; constat enim, quod post baptismum adhuc privati remanent originali iustitia, et tamen originale peccatum deletum est per baptismum: ergo privatio ista non fuit formaliter peccatum originale. — Nec obstat, si dicatur, quod debitum habendi iustitiam relaxatur per baptismum, et ita transit peccatum, quia haec duo, privatio iustitiae et debitum habendi, erant formale in peccato. Hoc quidem non obstat, tum, quia unius rei unicum est esse formale, secundum sic ponentes; peccatum autem originale unum est, debitum vero habendi iustitiam et iustitiae privatio non sunt unum; tum, quia haec solutio firmat propositum, quod videlicet peccatum originale manebit in baptizato secundum suum formale vel totale, si sola privatio sit totum formale, vel partiale, si debitum et privatio concurrunt ad unum integrum formale; tum, quia per baptismum non apparet, quomodo transit debitum habendi iustitiam, nisi quatenus Deus non imputat illud debitum; nam ratio debiti fundabatur in natura propagata ab Adam, qui originalem iustitiam pro tota natura suscepit; et idcirco, cum manet natura et propagata etiam post baptismum, adhuc deberet habere iustitiam; qua cum careat, videtur totum formale originalis peccati remanere secundum sic ponentes, quod est absonum dicere; tum, quia debitum habendi non videtur includi in formali originalis peccati, per rationem

[1] C. 6 text. 15 (alias lib. IX c. 4).

eorum, qui ponunt, quod in peccato privativo exsistente nihil formale est nisi privatio; debitum autem habendi non est privatio, immo relatio positiva.

Praeterea, illud non est formale in peccato originali, quod stat sub peccato originali et sub opposito eius; sed carentia originalis iustitiae et debere ipsam habere stat cum peccato originali in nondum baptizatis et sine originali in baptizatis, qui utique, quantum est ex natura et propagatione sua, deberent iustitiam habere, quam suscepit Adam pro ipsis; Deus tamen de isto debito parcit eis nec offenditur eis: ergo in originali non est formale privatio vel debitum, sed magis propter ista offendi Deum [1]. Et confirmatur, quod relatio debiti non videtur transire, quamdiu manet fundamentum, quod est natura et ratio fundamenti, quae est propagatio ab Adam debitore.

Praeterea, habitualis rebellio non est nisi appetitus sensitivus cum privatione originalis iustitiae secundum sic ponentes; sed secundum eosdem habitualis rebellio est tantum materialis et non formalis in originali peccato: ergo privatio originalis iustitiae est materialis et non formalis in eo. Unde non apparet, quomodo hae duae propositiones absque contradictione ligentur, prima scilicet, quod rebellio habitualis, quae est privatio originalis iustitiae in appetitu, non sit formalis in originali; secunda vero, quod privatio originalis iustitiae sit formaliter in eodem.

Praeterea, apostolus ad Romanos 7 tractans materiam de peccato originali nunquam facit mentionem de privatione originalis iustitiae, nec Augustinus contra Iulianum negantem, parvulos contrahere originale; sed nullus sufficienter loquitur de peccato originali, non habita mentione de suo formali: ergo vel privatio formale non est, vel apostolus et Augustinus insufficienter de hac materia tractarunt. — Nec obsistit, quod Anselmus de privatione huiusmodi mentionem facit: tum, quia maioris auctoritatis sunt apostolus et Augustinus et sunt magis sequendi; tum, quia privationem intelligit Anselmus eo modo, quo contrarium est alterius privativum; tum, quia ista definitio mala [2] est, nisi addatur quod ista privatio sit Dei offensiva.

[1] Ed. *ista non offendi.*

[2] Sess. *materialis.*

Praeterea, magis opponitur originali iustitiae et rectitudini originalis curvitas et obliquitas, quam opponatur privatio sola; in curvitate namque originali et obliquitate includitur privatio originalis rectitudinis, cum in omni contrarietate privatio includatur, X *Metaphysicorum* [1]; sed in homine est obliquitas et curvitas contraria iustitiae originali, videlicet habitualis rebellio, ex qua oritur pronitas ad malum et difficultas ad bonum, per oppositum originalis rectitudinis, ex qua oriebatur ad malum difficultas et ad bonum facilitas: ergo in homine est aliquid magis oppositum originali iustitiae quam privatio sola; sed id, quod est magis oppositum originali iustitiae, magis pertinet ad originale peccatum: ergo rebellio magis pertinet quam privatio sola. Cum ergo rebellio non pertineat nisi materialiter tantum, ergo multo minus privatio sola formaliter pertinebit.

Praeterea, in subiecto susceptivo duorum contrariorum unum contrarium est privatio alterius; nec subiectum, dum est sub uno, habet privationem alterius aliam a privatione, qua includitur in contrario illo, quod habet; in aëre enim frigido non est alia privatio a calore nisi frigiditas; alias idem subiectum respectu habitus eiusdem duplicem privationem haberet; sed homo est subiectum capax originalis iustitiae et sui oppositi, quod est curvitas et obliquitas, puta rebellionis habitualis: ergo in homine exsistente sub huiusmodi curvitate non est alia privatio originalis iustitiae nisi ipsa obliquitas tantum: cum ergo hoc non sit in originali peccato formale, nec privatio erit nisi materiale, quia non ponit in numerum cum privatione inclusa in obliquitate.

Praeterea, « si oppositum in opposito, et propositum in proposito [2] »; sed in originali iustitia erat materiale quasi habitualis obedientia omnium virium hominis ad rectam rationem, secundum Augustínum, *De baptismo parvulorum* libro II [3], qui ait, quod, « priusquam homo obedientiam violasset, placebat Deo et placebat ei Deus, et quamvis corpus animale gestaret, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebat, faciebat autem hoc ordo iustitiae, ut quia eius anima

[1] C. 6 text. 16 (alias lib. IX c. 4): « Omnis quidem contrarietas privatio est... Omnis contrarietas habet alterius contrariorum privationem ».

[2] Aristot., IV *Topic.*, c. 4.

[3] C. 22 n. 36.

corpus famulum a Deo acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum ». Haec Augustinus. Unde colligitur, quod haec obedientia erat in originali iustitia quasi materiale; formale vero esse placitum ex hoc Deo, quia ait, quod « placebat Deo, et placebat ei Deus »: ergo in oppositum, quod est originale peccatum, materiale erit contrarium privativum obedientiae habitualis, quod est rebellio, formale vero oppositum complacentiae, quod est offensa Dei. Non est ergo sola privatio formale in originali peccato, sed privatio obedientiae virium, quod est rebellio, materiale est, privatio vero divinae complacentiae, quod est Dei offensa, formale.

De hoc tamen formali dicetur exquisitius in sequenti conclusione.

Ea vero, quae inducuntur in oppositum, non concludunt.

1. Ad 1 enim est dicendum, quod ista definitio Anselmi materialis est; nam sola privatio originalis iustitiae non ponit parvulum in peccato, nisi quatenus est Dei offensivum; quod innuit Anselmus, cum c. 3 *De conceptu virginali* [1] probat, huiusmodi privationem esse peccatum ex hoc, quod Deus damnat et condemnat parvulum propter ipsam. Dicendum etiam, quod definitio ista vera est, accipiendo privationem iustitiae pro contraria qualitate, quae est lex membrorum et fomes peccati, de qua apostolus loquitur ad Romanos [2] 7 et Augustinus, *De baptismo parvulorum* libro II [3], non privatio pura.

2. Ad 2 dicendum, quod originalis iniustitia et rebellio et positivum quoddam est et privativum; in se quidem positivum quid est, respectu vero iustitiae mere privativum. Et quia iniustitia dicitur in ordine ad iustitiam, idcirco in quantum est iniustitia, non est nisi pura privatio, nec essentia aliqua, quamvis sit aliqua essentia ista qualitas, in qua includitur et fundatur; quemadmodum privatio caloris ut privatio nulla est essentia, est tamen aliqua essentia frigus, in quo et ex quo oritur privatio caloris. Anselmus ergo considerans, quod nulla res, ut est positiva, malum est aut

[1] P. L. 158, 436.
[2] V. 23 (cfr. v. 5).
[3] E. gr. c. 4 n. 4; c. 12 n. 17; c. 22 n. 36 sq. et c 32 n. 56.

peccatum aut iniustitia, sed quatenus est privativa, dicit, quod iniustitia nulla essentia est.

3. Et per idem patet ad 3 de Ambrosio et Augustino.

4. Ad ultimum dicendum, quod malum et peccatum adeo privativum est, ut nec habitualis rebellio aut actus homicidii aut quodcumque aliud positivum pertineat ad peccatum, nisi in quantum haec positiva privativa sunt et exclusiva alicuius alterius positivi debiti inesse. Et ideo dicebatur superius, quod privatio et rebellio sunt unum materiale, nec ponunt in numerum, quia rebellio non pertinet ad peccatum, nisi in quantum est privativa; et quia ex se privativa est, sicut frigus caloris et universaliter unum contrarium est privatio, reliquum vero habitus, propter hoc dicebatur, quod rebellio est materiale in originali peccato.

Et in hoc conclusio secunda finitur.

Conclusio III.

Quod in originali peccato Dei offensa formale est et Dei odium obiectivum.

Et primo conclusio impugnatur.

Ex praedictis concluditur, quod privatio non est formale in originali peccato; ergo formale inquirendo hoc incunctanter tenendum est, quod Dei offensa et odium est id, quo loquendo theologice tam originale quam actuale peccatum consurgit formaliter et ultimate.

1. Huic tamen obviare videtur, quod odium Dei praesupponit iniquitatem et peccatum, nec ideo aliquid est peccatum, quia oditur a Deo, sed magis oditur, quia peccatum est, iuxta illud prophetae [1]: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Cum ergo nulla res praecedat suum formale, immo ideo sit, quia adipiscitur suam formam, secundum Philosophum II *Physicorum* [2], videtur, quod odium Dei non sit formale in peccato originali vel alio quocumque.

2. Praeterea, illud non est formale in originali peccato, quod unius rationis exsistens commune est omni peccato;

[1] Ps. 5, 5.

[2] C. 2 text. 7-15.

alias peccata non distinguerentur in specie, nec originale esset alterius rationis ab actuali; sed odium Dei unius rationis est in omnibus peccatis: ergo non est formale in originali.

3. Praeterea, nihil est tantum in potestate Dei quantum odire et non odire; hoc enim [1] est in potestate voluntatis creatae; sed non est in Dei potestate facere, quod aliquid peccatum sit et non peccatum universaliter; non enim facere potest, quin idololatria sit peccatum et periurium ac blasphemia; unde non potest dispensare in praeceptis primae tabulae secundum doctores: ergo odium Dei sive offensa non videtur in peccato formale.

4. Praeterea, omne convolutum cum malo peccatum est; sed secundum Philosophum II *Ethicorum* [2], inverecundia, invidia, adulterium, homicidium, furtum convoluta sunt cum malitia confestim nominata, etiam absque hoc, quod Dei offensa concipiatur; ergo ista ex se erunt peccata confestim circumscripta Dei offensa: non est ergo Dei odium formale in peccato.

5. Praeterea, unumquodque cognoscitur per suum formale, Philosophus II *Metaphysicorum* [3] et III; sed considerantes de vitiis et peccatis non determinant de Dei odio et offensa; ut patet in scientia morali Aristotelis, in qua tractatur de virtutibus, vitiis et peccatis: ergo non est formale Dei odium in peccato; immo, si formale esset, omnino esset incognita natura peccatorum, cum odium sit aliquid a nobis abditum, utpote exsistens in Dei voluntate, cuius nullus conscius aut consiliarius esse potest, et idcirco nullus scire posset, quando peccat vel non.

6. Praeterea, sic se videtur habere peccatum ad odium et offensam, sicut se habet color ad esse visibile; sicut enim visus fertur in colorem, et ideo color est per se visibilis, sic Deus odit peccatum, et idcirco rationem habet odibilis; sed color sic se habet ad visibile, quod visibile non est eius formale, sed passio eius propria per se sibi attributa in secundo modo per se: ergo nec odibile erit formale in peccato.

---

[1] D *etiam*. [2] C. 6.

[3] C. 1 text. 4: « Ut secundum esse unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem ». — C. 2 text. 13: « Tunc scire putamus, cum causas cognoscimus ». — Sequitur lib. III c. 3 text. 3 (alias II c. 2): « Tunc scire unumquodque... arbitramur, cum, quid est, sciamus ». — Cfr. etiam c. 6 (c. 3) text. 10 et II *De anima*, text. 121 (c. 12) et III, text. 38 (c. 8).

7. Praeterea, peccatum est privatio boni, quod consistit in ordine, secundum Augustinum, *Enchiridion* 13 [1]; ex quo colligitur, quod formale peccati sit mera privatio et nihil positivum; sed odium obiectivum seu odibilitas dicit respectum ad voluntatem divinam, et per consequens non est pura privatio, sed aliquid positivum: ergo non est formaliter constituens peccatum.

His rationibus, etsi non inducantur ab aliis, videtur posse concludi oppositum nostrae conclusionis, quibus tamen non obstantibus, ut patebit, dicendum id, quod prius. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod peccatum aliter sumitur philosophice et in naturalibus, aliter ethice et in scientia morali, aliter theologice et in scientia divina. Cum enim peccatum nihil aliud sit quam deviatio a debito ordine et regula; regulae vero sunt tres, una quidem in naturalibus, cursus videlicet et ordo naturalis, alia vero in actibus humanis et agibilibus, videlicet iudicium rationis, tertia vero in meritoriis et gratuitis, nutus videlicet divinae voluntatis; necesse erit secundum ista, ut peccatum, quod est exorbitatio ab ordine et regula, tripliciter dicatur: primo quidem peccatum in natura, quod est deviatio a cursu debito et ordine naturali, quomodo monstra dicuntur peccatum, II *Physicorum* [2]; secundo vero peccatum in moribus, quod est deviatio a recta ratione, deficiendo vel excedendo medium a prudentia institutum, quomodo tractat de peccatis et vitiis scientia moralis; tertio vero peccatum est circa meritoria et gratuita deviatio a divina voluntate et beneplacito eius; et idcirco peccatum theologice est divinum nolitum, et per consequens a Deo oditum, cum nihil aliud sit, Deum aliquid odire, quam illud nolle vel placitum non habere. Habent autem se ista per ordinem; nam contingit, rationem iudicare aliquid esse malum, pro eo quod est obvium et impeditivum ordinis naturalis; unde ebrietatem iudicat malum, quia impedit iudicium et usum intellectus, et crapulam et luxuriam, quia consumunt corpus. Contingit etiam, divinam voluntatem ideo nolle aliquid, quia factum ab homine contra iudicium propriae rationis, licet alias non esset nolitum a Deo; unde in habente

[1] N. 4 et c. 11 n. 3; cfr. *De natura boni*, c. 3 sq.
[2] Text. 82 (c. 8).

erroneam conscientiam et aestimante, quod peccatum mortale sit elevare festucam, si elevet contra iudicium conscientiae et rationis, non est dubium, quod venit contra divinum nolitum et peccat mortaliter.

Quamvis ergo in peccato sumto ethice concurrat per modum materialis et praevii peccatum physice, quod erat deviatio et impedimentum naturalis boni, non tamen propter hoc erit formale in peccato moraliter sumto, sed tantum erit formale deviatio a recta ratione; similiter quaecumque mala concurrunt in peccato theologice sumto sive naturalia et contra naturae cursum, ut in peccatis, quae sunt contra naturam, sive moralia et contra rationis iudicium, non tamen haec formalia sunt in peccato, prout hic loquimur de eo, sed tantum divinum odium, sive a Deo non esse volitum, quod nihil aliud est quam exorbitare a prima et summa regula, quae est divina voluntas. Secundum hoc ergo in peccato originali, etsi concurrat privatio boni naturalis collati naturae institutae, quae erat originalis iustitia, et privatio ordinis rationis in concupiscentia et habituali rebellione, nihilominus haec non constituunt formaliter rationem originalis peccati theologice dicti; sed quia haec omnia sunt a Deo nolita, detestabilia et odita, idcirco consurgit ratio peccati theologici in isto defectu originali.

Quod ergo in peccato originali et in quocumque alio formale sit Dei offensa et odium, quod nihil aliud est, quam esse a Deo nolitum et obvium suae inobliquabili voluntati, prout loquitur theologus, de peccato potest multipliciter declarari. In baptismo enim transit id, quod est in originali peccato formale, secundum Augustinum in libro *Contra Iulianum* [1]; sed nec privatio originalis iustitiae, nec concupiscentia, nec aliquid aliud transit virtute baptismi, nisi divinum odium et offensa; hoc tamen transit iuxta illud apostoli ad Romanos 7 [2] qui postquam exclamavit contra legem membrorum et peccatum exsistens in carne, dicendo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* postmodum [3] ad consolationem baptizatorum dicit: *Nihil ergo damnationis est in his, qui in Christo Iesu sunt, qui non secundum carnem ambulant:* ergo huiusmodi damnatio, odium et offensa erat formale in originali.

[1] E. g. lib. II c. 5 n. 12 sqq. et lib. VI c. 15 n. 46 et c. 16 n. 49 sqq.
[2] V. 24. [3] C. 8, 1.

Amplius, omni alio transeunte in peccatore, qui actuale commisit, remanente tantum Dei offensa et odio, adhuc dicitur in peccato manere; homicida namque actu homicidii transeunte est in Dei offensa et odio, et idcirco remanet in peccato; sed illud est formale in aliquo, quo manente, demtis omnibus aliis, ipsum manet: ergo Dei offensa est formale in peccato. — Nec obstat, si dicatur, quod transeunte actu transit etiam peccatum, licet remaneat reatus et obligatio ad poenam. Hoc siquidem non obsistit, tum quia deleta causa, deletur effectus, peccatum autem causa est obligationis ad poenam; quapropter, si deleretur peccatum, actu transeunte, deberet deleri et obligatio, praesertim, cum Deus non sit pronus ad puniendum, nisi iusta causa manente; tum etiam, quia in confessione non deleretur peccatum, sed tantum obligatio ad poenam; tum quia peccatum non deletur nisi per gratiam, quae tamen non statim infunditur, cum actus transit.

Praeterea, illud est formale in peccato, quod directe dividitur per primas differentias peccatorum; quoniam differentiae dividunt per se rationem generis, ut vult Philosophus VII *Metaphysicorum*[1]; unde alatum et non alatum non sunt per se differentiae animalis, quia non dividunt sensum; sed mortale et veniale sunt per se differentiae peccatorum et dividunt per se rationem offensae divinae; offensa enim quaedam est venialis, quae condonationem meretur, quaedam mortalis, quae amicitiam corrumpit et solvit: ergo Dei offensa erit formale in peccato. — Nec valet, quod aliqui doctores dicunt, veniale et mortale non esse differentias essentiales peccatorum, sed accidentales tantum, quia sumuntur penes reatum et obligationem ad poenam; et est peccatum mortale secundum eos, quod meretur poenam aeternam, veniale, quod temporalem; et per consequens, cum poena sit extra rationem formalem peccati, non erunt differentiae nisi accidentales. Hoc siquidem stare nequit: tum quia mendacium, quando est veniale et quando est mortale, specifice non differret; quod est absonum dicere; tum quia minus differrent peccatum veniale et peccatum mortale, quam duo mortalia vel duo venialia, cum sint alterius speciei;

---

[1] C. 12 text. 42 sq. (alias lib. VI c. 12) et lib. X c. 10 text. 24 (alias lib. IX c. 8).

ut quoddam verbum otiosum et mendacium iocosum. Et ideo dicendum, quod non dicitur mortale pro eo, quod ducit ad mortem aeternam, sed mortale dicitur, quod Deum offendit usque ad mortem et corruptionem amicitiae ac gratiae divinae, et etiam, quia gratiae vitam tollit ab anima; veniale vero, quod amicitiam offendit, non tamen tollit, nec gratiam corrumpit.

Rursum, illud est formale in peccato, prout de eo loquitur theologus, per quod datur definitio peccati; sed Augustinus definit peccatum, *Contra Faustum* libro XXII[1], dicens, quod est «omne dictum vel factum vel concupitum, quod fit contra legem aeternam»; lex autem aeterna non est aliud quam ordo institutus a divina voluntate, quae est lex inobliquabilis. Ambrosius etiam in libro *De paradiso*[2] definiens peccatum, ait, quod «est praevaricatio legis divinae et caelestium inobedientia praeceptorum»; et subdit, quod «non consisteret peccatum, si interdictio non fuisset». Augustinus etiam, *De genesi contra Manichaeos*[3], dicit, quod «peccare nihil aliud est nisi in veritatis praeceptis oberrare»; et in libro *De duabus animabus*[4] dicit, quod «est id, quod iustitia vetat»; haec autem iustitia non est aliud, quam aequissima Dei voluntas; ergo ex istis definitionibus claret, quod Dei offensa et ab eo prohibitum esse et nolitum, formale sit in peccato.

Amplius, si peccatum est deviatio a regula, quam quis debet sequi, quanto potior est regula, tanto magis deviatio ab ista est potior in peccato; sed respectu actuum nostrorum duae sunt regulae; una intrinseca, quae est recta ratio, et alia superior ac potior et prima, quae est voluntas divina: ergo deviatio a voluntate divina multo potior est in peccato, quam deviatio a recta ratione; cum ergo deviatio a recta ratione formale sit in peccato etymologice sumto, deviatio a voluntate divina erit formale in peccato potiori, quod est peccatum ethice dictum.

Praeterea, posito formali uniuscuiusque, necesse est, illud poni et remoto removeri, quia forma est, quae dat nomen et definitionem, secundum Philosophum, II *Physicorum*[5]; sed po-

---

[1] C. 27. [2] C. 8 n. 39.

[3] Lib. II c. 16 n. 24; verbotenus *De fide ad Manichaeos* (inter opera August.), c. 8.

[4] C. 11 n. 15. [5] C. 2 text. 7-15 (alias c. 1).

sito divino nolito aut prohibitione circa aliquem actum, illum facere est peccatum, etiam quocumque alio remoto, ut patet in prohibitione lata super comestionem ligni vetiti; haec enim non esset peccatum, nisi quia a Deo nolita fuit. Et idem appareret in multis caeremonialibus legis antiquae; remoto enim divino nolito, actus efficitur non peccatum, qui stante nolitione erat peccatum, ut patet in deportatione vasorum argenteorum et aureorum facta per filios Israel[1], Aegyptiis spoliatis, quae utique fuisset peccatum, nisi quia sic Deus fieri voluit et iussit: ergo formale in peccato est esse nolitum et oditum a Deo.

Rursum, peccatum sumtum theologice gratiae formaliter opponitur. Illud est formale in peccato, cui directe gratia est opposita; sed offensa et gratia directe et formaliter opponuntur: ergo offensa est formale in peccato, prout loquimur de eo; unde, sicut actus virtuosi non sunt grati formaliter nisi per gratiam, sic actus vitiosi non sunt ingrati nisi per rationem noliti et respectum odibilitatis, qui fundatur in eis.

Ad ea vero, quae in oppositum inducuntur, dicendum est:

1. Ad 1 quidem: peccatum est unumquodque simpliciter et formaliter, theologice loquendo, pro eo, quod illud est a Deo nolitum, prohibitum et oditum; quod quidem aliquando ex se non est moraliter vitiosum aut malum, nisi quatenus est prohibitum; et tale sic est peccatum theologice, quod tamen non est peccatum ethice; aliquando vero malum est moraliter et contrarium rationi rectae, et tale quidem non ex hoc est peccatum theologice, quia rectae rationi opponitur, sed ex hoc, quod est nolitum et prohibetur. Quod ergo inducebatur peccatum a Deo odiri, quia peccatum est, non esse autem peccatum, quia oditur, hoc siquidem non est verum in primo modo peccatorum; in secundo vero veritatem habet; quod ideo oditur, est peccatum theologice, quia per modum primi est contrarium rectae rationi, et ethice peccatum; nec ex hoc colligitur, quin esse nolitum et oditum sit formale in peccato theologice sumto, immo potius confirmatur.

2. Ad 2 dicendum, quod ista ratio aeque concludit, deviationem a recta ratione non esse formale in peccato moraliter

---

[1] Ex. 11, 2 et c. 12, 35.

et ethice sumto, cum huiusmodi deviatio sit eiusdem rationis in omni materia, quia est secundum superabundantiam et defectum, ut patet II *Ethicorum*[1]; et tamen constat, quod deviatio huius formalis est in moralibus vitiis, sicut medium rationis in actibus virtuosis. Et ideo dicendum, quod, sicut deviare a ratione contingit diversis modis secundum diversas materias et circumstantias, et ob hoc moraliter vitia distinguuntur specifice, sic deviare a divina voluntate contingit secundum diversos modos, materias, et circumstantias; et idcirco peccata theologice possunt specifice distingui.

3. Ad 3 dicendum, quod non odire idololatriam et detestari blasphemiam non est in Dei potestate, pro eo, quod ista repugnant divinae bonitati, quam Deus non diligere non potest; et ideo praecepta primae tabulae non sunt dispensabilia, quia actus oppositi illis praeceptis directe obviant bonitati divinae; in aliis autem Deus potest dispensare, et potest velle vel nolle libere, quod fiant vel non fiant. Nec ex hoc potest concludi aliud, nisi quod quaedam sunt necessaria immutabiliter, quae utique necessario sunt peccata, quaedam vero contingenter.

4. Ad 4 dicendum, quod Aristoteles dicit, adulterium et furtum et consimilia esse convoluta cum malo, loquendo de malitia morali, non de peccato in ordine ad Deum, de quo hic loquimur.

5. Ad 5 dicendum, quod Aristoteles[2] tractans de vitiis et virtutibus, tractat de recta ratione tanquam de regula, ex cuius deviatione sumitur forma peccati in moribus, et obedientia et conformitate forma in actibus virtuosis; non tractat autem de divina voluntate, quae est superior regula, sed eam theologo relinquit, quam quidem theologus novit, non quia Dei consiliarius fuit, sed quia illam expressam invenit in scripturis divinitus revelatis.

6. Ad 6 dicendum, quod oditum a Deo seu esse nolitum vel esse obvium primae regulae, quae est divina voluntas, adveniens omni actui aut habitui dat illi rationem theologici peccati; et ideo adveniens habituali rebellioni et consideratum circa illam, dat illi, quod sit peccatum originale. Non est ergo similis comparatio de relatione visibilitatis ad colorem et de

---

[1] C. 2. [2] Cfr. I *Ethic.*, c. 3; VI c. 1.

relatione odibilitatis ad peccatum theologice sumtum, quamvis odibilitas hoc modo respiciat peccatum ethice dictum.

7. Ad ultimum dicendum, quod privatio ordinis a divina voluntate instituti circa aliquem actum est utique formale in peccato; unde generaliter verum est, quod peccatum est formaliter alicuius privatio; nam privatio ordinis naturaliter est peccatum physice, privatio vero boni et medii rationis est peccatum ethice; sed theologice privatio conformitatis ad divinam voluntatem sive privatio voliti a Deo et ita esse nolitum remanebit in peccato formale.

In quo tertia conclusio consummatur.

Conclusio IV.

Quod causale respectu originalis peccati non est decisio sola seminis, sed libidinosa conceptio, sine qua mulier concipere non valet in hoc statu naturae corruptae.

Et primo conclusio impugnatur.

Cognito itaque materiali atque formali originalis peccati, hoc inconcusse tenendum est de suo causali, quod non sit sola decisio seminis, sed libidinosa conceptio, quod vitium dici potest concupiscentia vel libido.

1. Huic tamen obviare videtur, quod nullus concipi potest, quin contrahat originale; potest autem mulier concipere absque libidine et delectatione, secundum quod Philosophus innuit XV *De animalibus*[1]: ergo libidinosa conceptio non est praecisa causa originalis peccati.

2. Praeterea, illud non est praecisa causa originalis peccati, quo posito, non ponitur originale; sed mulier et vir producti a Deo de trunco concumberent libidinose et concupiscibiliter miscerentur, et tamen proles concepta originale non contraheret, nec peccasset in Adam, cum non descendisset ab eo: ergo libidinosa commixtio non est causa originalis.

3. Praeterea, illud non est causa in originali, quo non concurrente, adhuc originale contrahitur; sed in daemone suc-

[1] Avicenna, XV *De natura animal.*, c. 3.

cubo, qui semen a viro dormiente suscepit, non est libidinosa decisio et transfusio, dum postmodum fit incubus et commiscetur mulieri; et tamen proles inde concepta peccatum inde contrahit, ut factum est in Merlino [1] et ceteris, de quibus fama refert, quod sunt a daemonibus generati: ergo commixtio huiusmodi non videtur causa peccati.

4. Praeterea, possibile est, virginem in primo actu concipere, et tamen delectationem absorbet tristitia, quae oritur ex ruptione claustrorum; et iterum reperiuntur aliquae mulieres impraegnatae in somnis, quae dicunt, se nihil sensisse; et praeterea de Loth scriptura [2] testatur, quod non sensit, quando venerunt aut quando accesserunt filiae, cum fuerunt gravidatae ab eo; et tamen constat, quod concepti in istis casibus contrahunt originale peccatum: ergo non videtur, quod libidinosa commixtio sit praecisa causa originalis peccati.

Sed istis non obstantibus dicendum est id, quod prius. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod, cum originale peccatum sit secundum sui materiam habitualis rebellio, ut supra [3] dictum fuit, non est dubium secundum leges qualitatum symbolicarum, quae transfunduntur a generante in genitum, non eodem in numero, sed eadem in specie, qualis est lepra aut melancholia, et sic de aliis, quae aliquas progenies comitantur, quin habitualis rebellio generetur in prole ex actu libidinoso et vitioso, qui oritur et consurgit ex habituali rebellione in parentibus exsistente. Quod quidem ex multis verbis Augustini evidenter apparet; ait enim *Contra Iulianum* libro V [4]: «Illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse propaginem mali in genere humano»; sed clarum est, quod concupiscentia, quam Christus in suo conceptu esse noluit, non est aliud quam libido: ergo libido facit in genere humano propaginem mali.

Praeterea, Augustinus in libro *De fide ad Petrum*, capite 5 [5], dicit, quod «in parvulos peccatum non transmittit propagatio, sed libido»; sed illud, quod transmittit peccatum, est

---

[1] Cfr. *Bibliogr. univers.* sub verbo *Merlinus*.
[2] Gen. 19, 33. 35.
[3] Concl. 3.
[4] C. 15 n. 52.
[5] C. 2 n. 16.

causa peccati: ergo libido, non propagatio sola aut seminis decisio, est causale in peccato originali.

Praeterea, Augustinus libro V[1] *Contra Iulianum* dicit, quod «Adam occulta tabe concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos»; non tabificavit autem carnem Christi, in cuius conceptu tabes ista non fuit: ergo secundum eius intentionem tabes concupiscentiae actualis, quae in conceptione prolis concurrit, tabificat et causat concupiscentiam in eo, quod inde generatur; et per consequens erit in peccato originali causale.

Praeterea, Augustinus *De fide ad Petrum* capite superius[2] allegato dicit quod «quia, dum sibi ad invicem vir mulierque miscentur, sine libidine non est parentum concubitus; ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, nec fecunditas naturae humanae facit homines cum peccato nasci, sed fecunditas libidinis». Haec Augustinus. Ex quibus evidenter apparet determinatio conclusionis praesentis.

Praeterea, libro V *Contra Iulianum*[3] dicit, quod «concupiscentia, si propterea reum parentem non tenet, quia regeneratus est, non mirum, si propterea reum tenet nascentem, quia inde generatus est». Ex qua auctoritate evidens est absque glossa, quod concupiscentia generantis est causa originalis peccati.

Rursus, in locis multis[4] haec est sententia Augustini, propter quod Magister sententiarum libro II d. 31[5] dicit, quod «noster conceptus non fit sine libidine, et ideo non est sine peccato»; et quod ex hoc transducitur originale peccatum, quia fit conceptio ex lege membrorum; nam nisi conceptio sic fieret in carne, anima non contraheret vitium concupiscentiae ex carnis coniunctione. Libro etiam III d. 3[6] dicit de Christo, quod «*venit ad corpus immaculatum*[7], quia praeter libidinis concupiscentiam fuit conceptus, nec in se habuit illud

---

[1] C. 15 n. 54.

[2] C. 2 n. 16.

[3] C. 16 n. 59.

[4] E. g. I *De nupt. et concupisc.*, c. 23 n. 25 et II *Contra Iulian.* (op. imperf.), c. 122.

[5] C. 7.

[6] P. II c. 4.

[7] Sap. 8, 20, ubi Vulgata *incoinquinatum* pro *immaculatum*.

vitium, quod in aliis est causa peccati». Ex quibus concluditur aperte, quod actualis concupiscentia est in originali causale.

Amplius, Anselmus libro II *Cur Deus homo*, capite 7[1] rationem assignans, quare Christus sine originali conceptus est, dicit, quod «illius hominis conceptio fuit sine libidine et delectationis peccato». Et Gregorius XI *Moralium* in fine[2] dicit, quod «solus Christus in carne sua vere mundus exstitit, quia per carnalem delectationem non venit»: ergo sanctorum intentio est ubique, quod libido conceptus est causa originalis peccati.

Praeterea, accidens concomitans totam speciem transfunditur a parente in prolem per actionem illius qualitatis, si fuerit activa, v. g. calor ignis generantis causat in igne generato calorem; sed libido concomitatur totam naturam corruptam, et est qualitas activa, quia actum concupiscentiae excitat: ergo per actum eius, qui est libidinosa commixtio, in generatum similis qualitas transfundetur. Et hanc rationem innuit Augustinus libro V *Contra Iulianum*[3] dicens, quod «de malo, quod adiacet atque inest in membris parentis, reus non fit parens fidelis»; et tamen ex illo malo qui nascitur reatum trahit. Et infra[4]: «Sicut sine concupiscentia nemo seminatur, ita sine illa nemo nascitur». Et reprehendens Iulianum subdit[5]: «Quomodo non dicis eo pervenire, quo transit? Verum est enim, quod in categoriis Aristotelis[6] invenisti, ea, quae in subiecto sunt, sine subiecto esse non posse, sicut sunt qualitates; sed afficiendo transeunt, non emigrando, quemadmodum Aethiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt. Sic et vitia, cum sint in subiecto, ex parentibus tamen in filios non quasi transmigratione de suo subiecto in subiectum alterum, quod fieri non posse categoriae illae, quas legisti, verissime ostendunt, sed, quod non intelligis, affectione et contagione pertranseunt». Haec ille. Ex quo satis evidens est, quod est sua intentio, generari concupiscentiam in prole ex affectione et contagione concupiscentiae, in qua gignitur a parente.

---

[1] Potius c. 16.
[2] C. 52 n. 70.
[3] C. 13 n. 50.
[4] C. 14 n. 51.
[5] *Ibid.*, diversis omissis.
[6] Sive *De praedicam.*, c. 2.

Quia vero habitualis rebellio non est in originali formale, sed odibilitas et nolitio voluntatis divinae respectu illius rebellionis, quam quidem Deus imputat et detestatur, iuxta illud Augustini, in libro *De nuptiis et concupiscentia*[1]: «Concupiscentia carnis in baptizato dimittitur, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur»; et illud[2]: «Concupiscentia carnis, licet in regeneratis non imputetur in peccatum, quaecumque tamen proles inde nascitur, originali peccato est obligata»; et illud *De baptismo parvulorum*[3]: «Per concupiscentiam diabolus animam retinet obligatam et separat a suo Creatore»; idcirco formale originalis peccati, quod est Dei nolitio et odium obvium, concomitanter exoritur ex originali et ex libidinosa conceptione, ex qua suum materiale, quod est habitualis rebellio, generatur in prole; et per consequens totius originalis peccati quoad materiale et formale fervor libidinis est causale. Sed quia non imputat Deus huiusmodi habitualem rebellionem in parvulo, nisi quatenus ea parvulus carere potuit in ordine ad Adam, qui originalem iustitiam suscepit et illam rebellionem non habuit ab origine, quin immo habuit potestatem non transfundendi illam in posteros, sed oppositum eius, hinc est, quod non est causale respectu originalis peccati sola libidinosa conceptio nisi in ordine ad primum parentem; et sic descensus libidinosus ab Adam sit causa completa et totalis, ut supra[4] dictum fuit in tractatu *De conceptione* Virginis gloriosae.

Ad ea vero, quae superius in oppositum inducuntur, dicendum est:

1. Ad 1 quidem, quod illud non obviat propter duo: primo quidem, quia hoc falsum est, quod mulier concipere valeat absque aliqua delectatione. Nam «coniunctio convenientis cum convenienti causat delectationem», *X Ethicorum*[5]; semen autem viri conveniens est matrici; unde ipsum attrahit a tota specie, sicut Commentator[6] testatur in suo *Colliget* de muliere, quae concepit in balneo, ubi spermatizaverant viri; cuius causam assignans dicit, quod «matrix a tota specie attrahit

---

[1] Lib. I, c. 25 n. 28.
[2] *Ibid.*, c. 24 n. 27.
[3] Lib. I, c. 39 n. 70.
[4] Pag. 36.
[5] Cfr. pag. 97 not. 4.
[6] Averroes, II *Colliget*, c. 10.

sperma». Nec obstat verbum Philosophi, quia non potest exponi secundum seriem litterae ad aliam intentionem, nisi quod «ita dicunt mulieres», ut sit magis muliebris loquacitas, quam philosophica auctoritas; nam verba eius sunt ista[1]. Hoc est signum, quod mulier non spermatizat, ibi nec filius est ex commixtione duorum spermatum; quod vel quia multoties impraegnabatur mulier sine delectatione tempore coitus, sicut impraegnatur, quando accidit ei delectatio. Sive enim illa clausula, «sicut dicunt mulieres», referatur ad primam partem propositionis vel ad secundam, semper est testimonium muliebre, ut in primo intellectu iste sit sensus: sicut dicunt mulieres; hoc est signum, quod filius non generatur ex commixtione duorum spermatum, quia multoties impraegnatur sine delectatione; et sic totum hoc cadit sub dicto mulieris. In secundo autem intellectu sensus est: quod signum est, filium non generari ex commixtione seminum, hoc, quod mulieres dicunt, se impraegnari sine delectatione; et hic est sensus litterae; quia mulieres nunquam faciunt hanc deductionem: sine delectatione impraegnamur, ergo proles non est ex commixtione seminum; sed Aristoteles ex testimonio earum et experientia, quam ipse ignorat, infert praedictam conclusionem, filium non concipi ex spermate mulieris. Vel aliter dicendum, quod, cum mulier experiatur duplicem delectationem, unam in susceptione virilis seminis et alteram in propria effusione, absque secunda delectatione aliquando gravidatur; ex quo Philosophus concludit[2], quod solum menstruum mulieris ingrediatur materialiter corpus prolis et non semen illius. Et haec est expressa Philosophi intentio in textu praeallegato, nec intendit negare omnem delectationem in conceptu; hoc enim impossibile est, semper quidem in susceptione virilis seminis delectatur.

Secundo etiam ratio ista non obstat, quia aliud est delectatio, aliud est libido; delectatio enim fuisset in statu innocentiae, in quo non fuisset libido. Est enim «libido motus improbus voluntati non subiectus[3]», qui nullo modo fuisset in statu innocentiae iuxta illud Augustini, IV *Contra Iulianum*[4], alloquen-

---

[1] Avicenna, XV *De natura animal.*, c. 3.
[2] Aristot., *De generat. animal.*, c. 20.
[3] Cfr. August., I *De lib. arb.*, c. 4 n. 10.
[4] C. 13 n. 62.

tis haereticum sub his verbis: «Inquiris, haeretice, si poterat membrum virile et ante moveri? nihil ergo novitatis invexit peccatum». Ad quod respondendo subdit Augustinus: «Poterat plane antea moveri, sed non erat indecens, ut puderet, quoniam illud movebat voluntatis imperium, non caro concupiscens adversus spiritum; nunquam vero ego motum genitalium generaliter reprehendi, sed illum motum, quem facit concupiscentia, qua *caro adversus spiritum concupiscit*[1]». Haec Augustinus. Ex quo patet, quod aliud est motus libidinosus et aliud delectatio simplex; absque motu autem libidinoso impossibile est aliquem generari, iuxta illud Augustini superius allegatum[2]: «Dum vir mulierque miscentur sine libidine, non est parentum concubitus»; et illud Magistri sententiarum[3]: «Noster conceptus non est sine libidine»; et illud Augustini, *Contra Iulianum* libro V[4]: «Seminare ad virum pertinet, excipere ad feminam, ad quod dixi sine claudicatione, hoc est sine libidine, pervenire non posse»; et illud ibidem[5]: «In castis coniugibus etsi voluntas sit in sobolis procreatione, tamen necessitas est in libidine». Et multa alia dicit Augustinus. Unde convincitur, quod sine libidine non potest esse conceptus, cum non possit esse sine motu voluntatis imperio non subiecto. Quamvis ergo sine delectatione omni esset conceptio, quod tamen est impossibile, ut dictum fuit, nihilominus non esset sine libidine, nec hoc Philosophus testatur.

2. Ad 2 dicendum, quod vir et mulier producti de trunco vel non concumberent libidinose et concupiscibiliter vel, si sic fieret, transfunderent in prolem rebellionem habitudinalem similem illi, quam in se ipsis haberent; nihilominus ista rebellio divinum odium non fundaret pro eo, quod natura illorum non potuit nec habuit unquam in se posse, quo dicta rebellione careret, quemadmodum per oppositum habuit in Adam natura omnium, qui descendunt ab eo.

3. Ad 3 dicendum, quod generatus per succubum daemonem concipitur libidinose ex parte mulieris; semen etiam, quod transfundat vir libidinose decidit, cui daemon ad recipiendum[6] se supposuit.

---

[1] Gal. 5, 17.
[2] Pag. 120 nota 2.
[3] Pag. 120 nota 5.
[4] C. 8 n. 34.
[5] C. 9 n. 37.
[6] Alii *decipiendum*.

4. Ad 4 dicendum, quod, si virgo in primo actu conciperet, quod forte possibile non est, nihilominus delectaretur vel saltem libidinoso motu ad hoc prius inclinaretur. Quod vero de mulieribus subditur, quae se dicunt impraegnatas fuisse in somnis, non videtur aliud quam mendacium confictum ab eis aut, si verum est, utique delectantur et libidinose moventur, sicut accidit in pollutione nocturna. Et per idem patet ad illud, quod divina scriptura de filiabus Loth attestatur.

In hoc ergo nunc finis est quartae conclusionis.

Conclusio V.

Quod originalis iustitia ibi erat subiective, ubi nunc est rebellio, in appetitu sensitivo.

Circa originalem autem iustitiam, ubi erat pro statu innocentiae subiective, tenendum est, quod erat subiective in appetitu sensitivo, in quo nunc est lex membrorum et concupiscentia, quae opponitur iustitiae praedictae.

1. Huic tamen obviare videtur, quod Anselmus[1] definit, «iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se ipsam servatam», *De conceptu virginali*, capite 3; sed rectitudo voluntatis non est subiective nisi in voluntate, sicut rectitudo lineae non est alibi quam in linea: ergo originalis iustitia fuit in voluntate, non in appetitu sensitivo.

2. Praeterea, sicut est de iustitia morali, sic videtur esse de originali iustitia; sed illa ponitur a Philosopho V *Ethicorum*[2] in voluntate subiective; ait enim, quod «est habitus, a quo temperati iusti fiunt homines et iusta volunt»; ergo et originalis iniustitia erit in voluntate.

3. Praeterea, ibi fuit originalis iustitia, ubi pro isto statu est originale peccatum; sed istud est in voluntate, secundum Anselmum, *De conceptu virginali*, capite 7 et 27[3]: ergo ibidem fuit iustitia originalis.

---

[1] P. L. 158, 436.
[2] C. 1.
[3] P. L. 158, 440 sq. et 461.

4. Praeterea, per originalem iustitiam omnes vires animae regulabantur, ita ut voluntas esset subiecta Deo et caro subiecta voluntati secundum Augustinum, libro II *De baptismo parvulorum*[1]; sed voluntas non poterat Deo esse obediens et subiecta nisi per habitum exsistentem in ea: ergo originalis iustitia vel solum erat in ea, si fuit unus habitus, quo voluntas subiiceretur Deo et caro animae; vel, si fuerunt duo, unus videlicet, quo voluntas Deo, et alius, quo appetitus voluntati, principalior fuit in ipsa, praesertim cum voluntas sit potior inter animae vires.

5. Praeterea, originalis iustitia constituebat hominem in statu innocentiae; sed homo non est innocens nisi per voluntatem: ergo originalis iustitia fuit in voluntate.

6. Amplius, iustum et iniustum non videtur inesse nisi rationali animae, lapis enim aut leo nec iustus nec iniustus dicitur; sed appetitus sensitivus non est proprius rationali animae, cum sit in brutis, voluntas autem est sibi propria, ut patet ex III *De anima*[2]: ergo iustitia originalis fuit in voluntate.

Istis autem non obstantibus dicendum est ut supra. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod in voluntate primi hominis fuerit *gratia gratum faciens, virtutes* quoque *theologicae* et virtutes *morales,* necnon et *habitualis obedientia* omnium virium inferiorum ad rationabilem voluntatem. Et de gratia quidem Augustinus testatur in libro *De correptione et gratia*[3], quaerens: «Nunquid Adam habuit Dei gratiam»? Et respondendo subdit: «Immo vero habuit magnam». — De virtutibus vero theologicis idem *Homilia* 11 *ad Iulianum* comitem[4] dicit, quod «Adam, perdita caritate, malus inventus est». De moralibus autem testatur ibidem, et habetur in *Decretis de poenitentia* d. 2[5]: Non est mirum: «Princeps, inquit, vitiorum, dum Adam vicit pudicitia ornatum, temperantia compositum, illis donis ac tantis bonis spoliavit pariterque peremit». — De

[1] C. 22 n. 36.

[2] Text. 42 et 50 (c. 9 et 10).

[3] C. 11 n. 29.

[4] Vel *De salutar. document.*, c. 60: «Expoliavit nos (diabolus) caritate et vestivit malitia». Cfr. c. 13.

[5] Scil. c. 32 D. 2 *de poenit.*

obedientia vero appetitus sensitivi et omnium virium sensitivarum ad voluntatem idem testatur libro II *De baptismo parvulorum*[1] dicens, quod, «quamvis animale corpus homo gestaret, nihil inobediens adversum se in illo sentiebat». Istis, inquam, exsistentibus in statu innocentiae, originalis iustitia necessario aliquid est ex ipsis. Certum est autem, quod non fuit gratia gratum faciens nec virtutes theologicae nec cardinales virtutes nec alius habitus voluntatem Deo subiiciens distinctus ab istis: relinquitur ergo, quod fuit habitus causans obedientiam appetitus et omnium inferiorum virium ad rationem et voluntatem; talis autem habitus alibi quam in appetitu subiective poni non potest: ergo originalis iustitia erat subiective in sensibili appetitu.

Quod ergo originalis iustitia non fuerit *gratia gratum faciens,* sic apparet; ait enim Anselmus, *De conceptu virginali* in fine, quod infans etiam post baptismum caret iustitia originali[2]; sed certum est, quod gratia gratum faciente non caret: ergo originalis iustitia et gratia gratum faciens non sunt idem. Et confirmatur, quia sancti viri pro statu naturae prostratae carent originali iustitia, et tamen sunt in gratia Dei.

Praeterea, formae et habitus innotescunt per operationes et actus; sed actus gratiae gratum facientis non est idem cum illo, qui attribuitur originali iustitiae, qua homo secundum vires inferiores erat subditus rationi: ergo ipsa gratia gratum faciens non fuit.

Rursus, si originalis iustitia erat gratia gratum faciens: aut erat eiusdem speciei cum gratia, quae nunc est, aut alterius; non eiusdem, quia tunc homo rediret ad statum innocentiae post baptismum, nec alterius, quia effectus formalis gratiae est gratum facere Deo, quod non est alterius rationis etiam in angelis, hominibus et Christo: ergo idem, quod prius.

Nec obstat quod superius[3] dicebatur secundum Augustinum, quod «originalis iustitia secundum suum formale erat placere Deo»; hic enim non inquirimus de originali iustitia secundum suum formale, quo opponitur odio Dei, quod est formale in originali peccato, sed quoad suum materiale, quo oppo-

---

[1] C. 22 n. 36.

[2] C. 29 (alias 28).

[3] Pag. 108 nota 3.

nitur rebellioni habituali; super illum enim habitum una cum aliis habitibus virtuosis fundabatur partialiter esse acceptum Deo et gratum, praesertim cum gratia non sit distinctus habitus a virtutibus, sed aliquid resultans ex integritate virtutum, ut pulchritudo et gratia corporalis ex debita proportione et coloratione membrorum, sicut alias dictum fuit.

Virtutes quoque *theologicae* vel *morales* non potuerunt esse iustitia originalis; habitus enim, qui communes sunt naturae pro statu innocentiae et statu lapsus, non sunt habitus ille, qui fuit tantummodo in statu innocentis naturae; sed virtutes morales et theologicae utrique statui sunt communes, originalis vero iustitia non: ergo non possunt esse idem.

Praeterea, in parvulis infunduntur virtutes secundum veriorem opinionem, ut probatur *Extra, De baptismo et eius effectu*, capite *Maiores enim sunt*[1]; sed ipsis in baptismo non infunditur originalis iustitia: ergo idem quod prius.

Rursum, virtutes morales quaedam sunt acquisitae, quaedam infusae, secundum plures doctores; constat autem, quod originalis iustitia non sunt virtutes acquisitae, quia tunc ex puris naturalibus per consuetudinem et assuefactionem posset se homo reducere ad statum innocentiae; nec sunt morales infusae aut infusae theologicae, quae sunt fides, spes, caritas, nam istae infunduntur vere poenitentibus et resurgentibus a peccato secundum fidem, quibus tamen originalis iustitia non datur: ergo non sunt idem.

Amplius, effectus originalis iustitiae erat non erubescere aut pudere in sui nuditate, iuxta illud Genesis 2[2]: *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor eius, et non erubescebant.* Idem dicit Augustinus libro II *De baptismo parvulorum*[3]; sed manente gratia gratum faciente in homine et virtutibus theologicis ac moralibus infusis et acquisitis, adhuc homo non pervenit ad hunc gradum, quin erubescere habeat et pudenda in se experiatur: ergo originalis iustitia non fuit idem cum habitibus illis.

---

[1] Scil. c. 2 *De bapt. et eius effectu*, X III, 42.
[2] V. 25.
[3] C. 22 n. 36.

Non potest vero dici, quod fuerit alius habitus a praedictis voluntatem Deo subiiciens aut ipsam regulans secundum rectam rationem; voluntas enim primi hominis sufficienter subdebatur Deo per habitus supradictos: ergo, si talis habitus ponatur, superflueret, cum non appareat, ad quid poneretur. Rectae enim rationi voluntatem conformant morales habitus acquisiti; Deo vero perfecte subiiciunt virtutes theologicae et morales infusae: ergo in voluntate primi hominis nullus fuit alius habitus a praedictis.

Praeterea, si originalis iustitia fuit rectitudo voluntatis in primo parente: aut habitualis rectitudo fuit aut actualis; non fuit actualis, quia, dum in extasi erat, iuxta illud [1]: *Immisit Dominus soporem in Adam*, non est dubium, quod in originali iustitia mansit, et tamen voluntas non fuit pro illo tunc in aliquo actu elicito; nec erat rectitudo habitualis; nam habitus rectus dicitur in ordine ad actum rectum, omnes autem actus recti in voluntate possibiles per virtutes, de quibus dictum est, sufficienter diriguntur: ergo non potuit in primo homine esse alius habitus voluntatem rectificans quam praedicti.

Relinquitur ergo, quod fuit *habitus appetitum subiiciens* et inclinans ad sequendum absque omni rebellione et repugnantia rationis iudicium et imperium voluntatis iuxta illud Augustini superius [2] allegatum IV *Contra Iulianum;* qui dicit, quod «non fuit indecens aliquis motus hominis, ut puderet, quoniam illud movebat voluntatis imperium, non caro concupiscens adversus spiritum». Hanc autem habitualem obedientiam impossibile est poni subiective nisi in appetitu; opposita enim nata sunt fieri circa idem, et contraria eidem subiecto vicissim insunt, secundum Philosophum, X *Metaphysicorum* [3]; sed habitualis inobedientia appetitus et habitualis obedientia, rectitudo atque iustitia eiusdem sunt opposita: ergo, cum inobedientia et rebellio subiective sit in appetitu qualitas vitiosa, ibidem fuit rectitudo et iustitia originalis.

---

[1] Gen. 2, 21. [2] Pag. 124 nota 1.

[3] Text. 24 (alias IX c. 8). Vide etiam *De praedicam.*, c. de opposit. circa finem.

Praeterea, obedientia non est subiective in eo, qui praecipit, sed in illo, qui obedit; unde in servo ponitur virtus bene obeditiva respectu domini, I *Politicorum*[1], et temperantia ac fortitudo ponuntur in appetitu sensitivo, III *Ethicorum*[2], quia ipsum subiiciunt rationi; sed originalis iustitia fuit obedientia appetitus, ut patet per Augustinum, II *De baptismo parvulorum*[3], qui ait, quod « prima iustitia primorum illorum hominum fuit Deo obedire et hanc in membris adversus legem mentis suae legem concupiscentiae non habere »: ergo iustitia originalis subiective fuit in appetitu.

Praeterea, originalis iustitia non erat aliquid naturam hominis violentans; sed, si fuisset in voluntate habitus, quo appetitum moveret et coerceret, esset aliquid violentum respectu appetitus: ergo non fuit subiective in ea.

Amplius, ibi fuit originalis iustitia, ubi fuit nuditas eius, primo homine per peccatum a Deo discedente; sed nuditas iustitiae fuit in appetitu sensitivo, secundum illud Augustini, *De baptismo parvulorum* libro II[4], dicentis, quod, « postquam ista transgressio facta est et inobediens anima a lege Dei sui aversa est, habere coepit adversus eam servus eius, hoc est corpus eius, legem inobedientiae, et puduit illos nuditatis suae, animadverso in se motu, quem antea non senserant; quae animadversio dicta est apertio oculorum »: ergo iustitia originalis fuit in appetitu sensitivo.

Praeterea, si poneretur in voluntate: aut esset in ea, ut imperaret ea mediante voluntas appetitui sensitivo, aut ut in eo motum eliceret; sed non, ut imperaret, quia ad hoc imperium sufficiunt gratia et virtutes, quibus voluntas optat et imperat, quantum est ex se, ne caro adversus spiritum concupiscat, ut patet in viris sanctis; nec ut eliceret in appetitu sensitivo motum conformem rationi, quia voluntas hunc motum non elicit, sed imperative se habet tantum, quemadmodum non elicit motum progressivum, sed virtus motiva in musculis exsistens: ergo originalis iustitia in appetitu, cuius essent illi motus, fuisset subiective et non in voluntate.

---

[1] C. 4 et 8.
[2] C. 10-12.
[3] C. 23 n. 37.
[4] C. 22 n. 36.

Amplius, eius est actus, cuius est habitus, et econverso, cum actus et habitus sint perfectiones coordinatae respectu eiusdem perfectibilis; unde habitus est actus primus perfectibilis per operationem tanquam per actum secundum; sed motus ordinatus et conformis rectae rationi in statu innocentiae fuisset in appetitu sensitivo, in quo nunc est motus rebellis: ergo ibidem originalis iustitia exstitisset.

Est ergo inconcusse tenendum, quod originalis iustitia fuit quaedam nobilis qualitas appetitum sensitivum in sui universalitate perficiens et ordinans ac conformans rectitudini rationis, ita quod nec oculus ad aspiciendum nec cor ad appetendum nec auris ad audiendum nec aliquod membrum corporis ad actum aliquem vitiosum inordinate moveretur, sed magis ad oppositum; unde consurgeret pro illo statu ad bonum pronitas et difficultas ad malum, sicut in tractatu *De conceptione Virginis*[1] dicebatur. Ex isto autem habitu et ex virtutibus exsistentibus in voluntate, consurgebat integritas innocentiae in primis parentibus, et ex ipsis homo erat acceptus Deo, quoniam gratia et acceptabilitas obiectiva non est aliquid absolutum a virtutibus, sed est aliquid fundatum super illas. Et hinc est, quod rectitudo voluntatis ad statum innocentiae dicitur pertinere, quamvis non esset ille habitus, qui originalis iustitia nuncupatur; sed magis rectitudo appetitus, ut sic rectitudo voluntatis, quae consurgit ex virtutibus theologicis et moralibus, et rectitudo appetitus, quae fuit originalis iustitia, statum innocentiae integrarent; peccatum vero originale sibi opponitur quantum ad id, quod est materiale in eo, puta, rebellio; quantum vero ad formale, quod est odium, sibi opponitur, quia partialiter fundabat respectum acceptabilitatis et gratiositatis in ordine ad Deum.

Ad ea vero, quae superius inducuntur, dicendum est:

1. Ad 1 quidem, quod appetitus sensitivus, prout est obediens voluntati, potest voluntas appellari, sicut et rationalis dicitur per participationem, in I *Ethicorum*[2], et idcirco

---

[1] Pag. 41. [2] C. 13.

« iustitia est rectitudo voluntatis propter se ipsam servata [1] », voluntatis quidem sumtae proprie et per essentiam quoad virtutes, voluntatis vero per participationem quoad illam qualitatem, quae in appetitu primorum parentum exsistens dicta fuit iustitia originalis.

2. Ad 2 dicendum, quod iustitia moralis est in voluntate proprie dicta, non sic autem de originali iustitia, ut patet ex praedictis.

3. Ad 3 dicendum, quòd peccatum originale secundum suum materiale est in appetitu sensitivo, ratione cuius formale, quod est odibilitas, inest toti personae compositae ex anima et corpore, quia totus homo est propter rebellionem oditus, iuxta illud Augustini, II *De baptismo parvulorum* [2] dicentis, quod « de lege membrorum nascitur caro peccati expianda per illius sacramentum, qui venit *in similitudinem carnis peccati* [3], ut evacuaretur corpus peccati, quod est *corpus mortis*, a quo miserum hominem non liberat nisi *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum* [4] ».

4. Ad 4 dicendum, quod originalis iustitia potest esse nomen exprimens totam rectitudinem primi status, et secundum hoc signat rectitudinem voluntatis, quae erat in primis hominibus per virtutes theologicas et morales, et rectitudinem appetitus sensitivi, quae erat per istam nobilem, de qua nunc loquimur, qualitatem; vel potest esse nomen exprimens tantummodo huiusmodi qualitatem, et sic proprie loquimur de ea, quoniam peccatum originale huic directe opponitur, nec virtutes proprie dicuntur iustitia originalis.

5. Ad 5 dicendum, quod ista qualitas reddebat hominem innocentem pro eo, quod non experiebatur in se aliquem motum inordinatum aut aliquid aliud dignum verecundia vel rubore.

6. Ad ultimum dicendum, quod iustum et iniustum, si accipiantur pro recto et obliquo, poni possunt in appetitu sensitivo, qui rationalis est et voluntarius per participationem; unde obliquitas ipsius concupiscentia est et rebellio, rectitudo vero originalis iustitia.

Et in hoc quinta conclusio terminatur.

---

[1] Anselm., *De concept. virg.*, c. 3.
[2] C. 33 n. 37.
[3] Rom. 8. 3.
[4] Rom. 7, 24 sq.

Conclusio VI.

Quod originale peccatum ob hoc omnibus ex Adam libidinose descendentibus imputatur, quia tota natura exsistens in ipso virtualiter quodammodo consensit in peccatum.

Et primo impugnatur.

Si Dei vero iustitia, quae nulla potest iniquitate obliquari, ob hoc filiis hominum, qui ex Adam libidinose descendunt, qualitatem vitiosam, quam afferunt, imputat ad peccatum, quia omnes homines virtualiter in Adam exstiterunt in illo tunc, quo de merito suo qualitatem ipsam iusto Dei iudicio sibi inflictam suscepit, et ita, voluntate primi hominis consentiente in peccatum, tota natura omnium hominum quodammodo in peccatum consensit, quo illa vitiosa qualitas est inflicta.

1. Huic tamen obviare videtur, quod voluntas omnium hominum non fuit in Adam in virtute, cum anima non sit ex traduce, sed a Deo, cum suis potentiis corpori infundatur: illud ergo non potuit in aliquid consentire mediante Adam, quod nullatenus fuit in ipso; sed voluntates hominum non fuerunt in Adam formaliter nec virtualiter, sed tantum in Deo, *qui fingit singulariter corda hominum*, secundum prophetam [1]: ergo natura hominum ut exsistens in Adam non consensit in illud peccatum.

2. Praeterea, homines fuerunt in Adam tantum secundum carnem; sed consentire non inest homini per carnem: ergo non consenserunt homines in peccatum, prout fuerunt in Adam exsistentes.

3. Praeterea, peccatum originale est sicut obliquitas motus sagittae proveniens ex voluntate iacientis; sic enim per actum generationis transmisit Adam obliquitatem peccati in naturam, sicut transmittit iaciens motum obliquum in sagittam; sed obliquitas in sagitta non est ex voluntate sagittae, sed iacientis: ergo peccatum non erit ex consensu naturae, sed ex voluntate solius Adae, ut videtur.

---

[1] Ps. 32, 15: *Qui finxit sigillatim corda eorum.*

4. Praeterea, sic est de peccato originali respectu totius naturae in ordine ad Adam, sicut est de homicidio aut alio actuali peccato per membra commisso in ordine ad committentem personam; quemadmodum enim manus et alia membra hominis sunt unus homo, sic omnes homines in Adam fuerunt quasi unus homo, secundum Augustinum, *De baptismo parvulorum* libro I [1]; sed homicidium, quod est actuale peccatum, non attribuitur manui ex proprio consensu, sed ex voluntate animae ipsius [2] operantis: ergo et originale peccatum non attribuitur hominibus ratione propriae voluntatis, sed ex motu voluntario primi parentis.

5. Praeterea, non plus omnes homines fuerunt in Adam in virtute, quam singuli homines sunt in parentibus suis; sed filii non consentiunt in peccata, quae a parentibus committuntur, quamvis in eis sint virtute: ergo nec omnes homines in peccatum Adae consenserunt, quamvis essent in eo virtualiter exsistentes.

Sed his non obstantibus, dicendum est ut supra; quoniam ita determinat Augustinus in libro *De correptione et gratia* [3], ubi dicit, quod, « quia Adam per liberum arbitrium Deum deseruit, iustum iudicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quae in illo adhuc posita tota in illo peccaverat, damnaretur ». Et libro I *De baptismo parvulorum* [4] idem definit, prout Magister sententiarum allegat 30 d. libro II [5] dicens, quod « in Adam omnes peccarunt ut in materia; omnes enim unus homo ille fuerunt, in quo materialiter erant ».

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod Adam aliquando vicem gessit totius humanae naturae, aliquando vero vicem suae singularis personae. Vicem quidem totius naturae in his gessit, quae gesta sunt circa eum exsistentem in paradiso; quia enim natura humana producta non fuit immediate a Deo in omnibus suis suppositis, sicut fuit natura

---

[1] C. 10 n. 11 et c. 28 n. 55.

[2] Ed. *ipsum*.

[3] C. 10 n. 28.

[4] C. 10 n. 11 sqq., secundum sensum; verbaliter habetur in glossa *ordinaria* ad Rom. 5, 12, apud Lyranum.

[5] C. 10

angelica, sed in uno supposito, a quo omnes homines descenderent per viam generationis; ideo cum Adam actum est, sicut ageretur cum omnibus hominibus, si tunc essent. Unde positus est in paradiso et constitutus est operator et custoditor in eo vice totius naturae. Imposuit etiam nomina animantibus cunctis, non in quantum singularis persona, sed auctoritate, qua super cuncta animantia praecellit humana natura. Accepit quoque mandatum disciplinae, ne de ligno scientiae boni et mali comederet vice totius naturae; donum etiam innocentiae, quo nudus exsistens non erubesceret. Tentatio quoque serpentis permissa est in eum fieri vice eiusdem naturae, ut, si resisteret, in bonis, quae a Deo acceperat tota natura, perpetuo permaneret, et maledictio quoque proiecta in eum quoad sexum femineum et virilem de dolore partus et multiplicatione aerumnae et reversione in pulverem, necnon et eiusdem eiectio de loco voluptatis et collocatio gladii flammei transversalis pro custodia paradisi, et universaliter quae ab ingressu eiusdem paradisi usque ad exitum facta sunt, circa ipsum utique gesta sunt vice totius humanae naturae, non in quantum erat singularis persona. Ea vero, quae deinceps gessit, vel bona vel mala, non sunt naturae hominis imputata, sed illi singulari personae; unde a principio 2 capitis usque ad 4 libri Genesis agitur de Adam, prout vicem tenuit humanae naturae; a 4 vero et deinceps prout fuit singularis persona, ut quod genuit Cain et Seth, et alia, quae sequuntur.

Quia ergo vice totius naturae in paradiso exsistens tentatus, vice eiusdem succubuit, et originali iustitia spoliatus, inflicta sibi concupiscentia erubuit nuditatem. Propter hoc dicendum est in hac conclusione, quod tota natura quodammodo consensit in huiusmodi, unde ortum est vitium et originale peccatum, secundum illud Augustini, *De baptismo parvulorum* [1], qui ait, quod « primi homines pudenda texerunt propter legem peccati, de qua lege nascitur caro peccati; sic enim ab eis transitum fecit ad posteros ista lex, quae est mortis initium, quemadmodum labor, quo cuncti homines laborant in terra et parturitio cum doloribus in feminas transit ».

---

[1] Scil. lib. II, c. 22 n. 36 et c. 23 n. 37.

Ad ea vero, quae in oppositum inducuntur, dicendum est:

1. Ad 1 et 2 quidem, quod, quamvis anima et voluntas non sint a traduce, nihilominus totus homo est generatus, cum generatio ad compositum terminetur. Et idcirco omnes homines fuerunt virtualiter in Adam, quamvis mediante carne, qua et mediante concupiscentia dicitur transfundi et originale peccatum; appetitus siquidem sensitivus, in quo est concupiscentia subiective, cum sit potentia originata, non est in anima tantum, sed in coniuncto, in anima et carne, quamvis insit per carnem. Vel dicendum, quod, licet omnes homines secundum animam in Adam virtualiter non fuissent, potuit tamen Adam vicem omnium gerere et totius naturae, et ideo nec primum nec secundum argumentum procedit.

2. Ad 3 dicendum, quod illud exemplum de obliquitate sagittae deficit propter multa: primo quidem, quia sagittae non imputatur obliquitas sicut originale imputatur toti naturae, iuxta illud apostoli [1]: *Eramus omnes natura filii irae;* unde omnes sancti [2] vocant massam peccati esse humanam naturam; secundo vero, quia illa obliquitas non habet in sagitta rationem culpae, et tamen Magister sententiarum 30 d. libri II [3] reprobat opinionem dicentium originale peccatum non esse culpam, sed tantum reatum poenae; Gregorius etiam *Super Ezechielem* [4] dicit, quod « ex carnis delectatione concepti culpam originalem contraximus »; et Augustinus super psalmum 50 [5] dicit, quod « peccatum originale est culpa, quam omnes concupiscibiliter concepti trahunt »; tertio vero, quia sagittae propter motus obliquitatem poena iuste non potest infligi, sicut pro peccato originali infligitur.

3. Ad 4 dicendum, quod illud simile de homicidio respectu manus non est ad propositum propter multa: primo, quia in omnibus membris et in toto supposito non est nisi unum peccatum actuale, originale vero plurificatur et diversificatur numero secundum hominum multiplicationem; secundo

---

[1] Eph. 2, 3.

[2] Vide supra pag. 29 notam 7; cfr. etiam Magist. sent., lib. II d. 30 c. 10; glossa *ordinaria* apud Lyranum in Rom. 5, 12.

[3] C. 7.

[4] II *Homil. sup. Ezech.*, hom. 4 n. 174.

[5] *Enarrat.* in hunc ps.; apud Lyranum v. 7.

quoque, quia peccatum actuale, prout est culpa et offensa, non est proprie et subiective in organis, sicut originale est subiective in singulis hominibus; tertio vero, quia offensa dimissa voluntati remittitur respectu omnium organorum; Adae vero etsi fuerit remissum peccatum, non tamen originale dimittitur descendentibus ab eodem. Non ergo est exemplum accommodum ad propositum, assimilare originale peccatum, quod inest hominibus ex voluntate Adae, actuali peccato, quod est in membris ex voluntate personae. Sed magis dicendum, quod Adam gessit rationem totius naturae propter rationem superius assignatam, propter quod tota natura sic in ipso iram demeruit, sicut proculdubio gratiam et confirmationem originalis iustitiae meruisset, si mandatum, quod acceperat, obedienter servasset.

4. Ad ultimum dicendum, quod parentes in conspectu principum mundanorum tenent aliquando vicem totius generis, et idcirco propter peccatum eorum tota posteritas proscribitur et propter meritum eorum aliquando diligitur et praemiatur. In ordine vero ad Deum solus primus homo vicem tenuit omnium posterorum, et nullus alius homo respectu filiorum suorum iuxta illud [1]: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur, et filius non portabit iniquitatem patris.*

Et in hoc est finis sextae conclusionis.

Conclusio VII.

Quod seminis alteratio et corporis formatio proprio modo loquendi dici potest conceptio.

Nomen vero conceptionis, quod aliqui negant alterationi seminis et organizationi, quae fit concepto semine, proprie convenire ob hoc, quia in scriptura non invenitur vocalis concordantia, etsi inveniatur realis, Sapientiae 7 [2], sapiens confitetur *se in ventre matris coagulatum in sanguinem et figuratum carnem;* hoc siquidem conceptionis vocabulum tali formationi ac coagulationi competere ex multis possumus declarare. Coagulatio namque sanguinis et figuratio corporis in utero materno non dubium, quod est generatio, eo modo, quo generatio

[1] Ezech. 18, 20. [2] V. 2.

accipitur pro alteratione praevia ad formam substantialem; quae quidem generatio active attribuitur mari, passive vero feminae, secundum Philosophum [1]; nunc autem maris generatio proprie seminatio appellatur, feminae vero conceptio, secundum Augustinum, libro V [2] *Contra Iulianum:* ergo formatio corporis relate ad mulierem erit conceptio.

Praeterea, « propter quod unumquodque est tale, et illud magis [3] »; sed susceptio seminis non dicitur conceptio nisi ratione alterationis eiusdem seminis et operatione circa ipsum; non enim omnis mulier suscipiens semen dicitur concepisse, nisi quatenus ipsum alteravit iuxta processum alterationis et ordinem naturalem: ergo huiusmodi processus et alteratio conceptio dicitur magis proprie quam susceptio seminis sola.

Amplius, via in conceptum potest conceptio proprie appellari; sed semen organizatum dicitur fetus et conceptus, etiam ante animationem; unde patientes abortum dicuntur fetum emisisse et conceptum: ergo via in talem fetum, quae est organizatio et coagulatio, proprie conceptio dici potest. Via enim in ignem ignitio appellatur et in calorem calefactio, et consimiliter in conceptum dici debet conceptio. Et confirmatur, quia semen solum non aeque proprie fetus dicitur, sicut semen organizatum et alteratum, quod communi nomine fetum inanimatum consuevimus appellare.

Praeterea, non apparet aliqua ratio, cur concedens, animationem fetus et susceptionem seminis dici conceptionem, non debeat concedere, corporis formationem esse conceptionem, cum susceptio seminis non dicatur conceptio nisi in ordine ad formationem, — alioquin in omni commixtione mulier concipere diceretur, — et adhuc virtute generativae virtutis mulieris multo melius et directius organizatio et alteratio quam animatio fetus fiat. Unde, si mulier concipit, cum fetus animatur, quem tamen non animat, multo fortius dicetur concipere, cum corpus figuratur, quod ipsa figurat.

Praeterea, pro eodem consuevit accipi, cum dicitur, mulierem impraegnatam aut gravidatam fuisse, ac si dicatur concepisse. Sed impraegnari dicitur, dum in eius utero cor-

[1] I *De generat. animal.*, c. 2 et II c. 4.
[2] Supra pag. 124 nota 4.
[3] Cfr. Aristot. II *Metaphys.*, text. 4 (I brevior c. 1).

poris fabrica ordinatur, secundum illud Ecclesiastae 11[1]: *Ignoras, quae sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre praegnantis:* ergo huiusmodi fabricatio corporis conceptio dici potest.

Praeterea, secundum communem modum loquendi, qui sequendus est in talibus argumentis[2], qui dicit, loquendum esse ut proles tempore gravidationis, impraegnationis et conceptionis, computatur non solum in die susceptionis seminis, sed etiam pro diebus, in quibus signa alterationis seminis et augmentationis et talium declarantur. Ex quo apparet, quod conceptio potest tribus modis accommodari iuxta usum loquentium: videlicet susceptioni seminis, formationi corporis et nativitati hominis in utero materno, non obstante curiositate quaerentium vocalem concordantiam ex scripturis; quaerentes nempe metrificatorum testimonium aut vocalitatem quarumlibet scripturarum Philosophus reprehendit II *Metaphysicorum*[3], praesertim, cum philosophus parum habeat curare de nominibus, multum autem de rebus, prout Commentator dicit I *Physicorum*[4], proculdubio theologus multo minus.

Et in hoc conclusio septima finem habet.

Conclusio VIII.

Quod totus liber de conceptione intactus ac verus remanet, nec ineptus.

Tractatus iste *De conceptione inviolatae Virginis* ipsius adiutorio dudum confectus, etsi aliquibus debilibus motivis prolatis in oppositum forsitan videatur concussus in mentibus infirmorum, nihilominus integer remanet nec ineptus, non obstante incurialitate et ruditate et ineptitudine imponentis.

1. Videtur namque quoad illud ineptus, quo dicitur, originale peccatum posse contrahi ab aliquibus quidem de iure et de facto simul, ab aliis vero de iure tantum et non de facto, ut dictum est ibidem de Virgine gloriosa. Haec nimirum distinctio videtur aliquibus inepta; nam inter factum et

[1] V. 5.

[2] Ita E; Sess *talibus secundum Aristotelem*. Ed. paulo post *inquirendum est;* textus videtur esse corruptus.

[3] Text. 15 sq.

[4] Cfr. Averroes, I *Physic.*, text. 1 et 83 et I *Expos. med. Phys.*, c. 5.

ius non videtur distinctio poni posse, nec ius separatur a facto, ut patet de contrahente matrimonium cum duabus, cum una de iure et cum alia de facto; non est enim dubium, quod cum prima contraxit de iure simul et facto, quia a iure factum impossibile est separari; sed Virgo de iure contraxit originale peccatum secundum sententiam illius tractatus: ergo contraxit simul de iure et de facto; et per consequens distinctio est inepta.

2. Praeterea, omne analogum per se positum stat pro modo famosiori; ut, si dicatur homo, qui communis est, analogice ad pictum et ad verum, intelligetur de homine vero, et non de picto; sed contractus per prius et famosius dicitur de contractu iuris et facti quam de solo contractu iuris: ergo sanctorum verba dicentium, quod omnes praeter Christum contraxerunt originale, intelligenda sunt, quod omnes praeter Christum contraxerunt de iure et de facto; et sic virgo Maria.

3. Praeterea, ad illud tendit mundatio, ad quod contractus immunditiae terminatur; sed iuxta istam sententiam contractus originalis munditiae non fuit in Virgine de facto, sed de iure tantummodo: ergo non fuit mundata a facto originalis peccati, sed a iure contrahendi; cuius oppositum iste tractatus intendit.

4. Praeterea, ius et privilegium sunt opposita; sed opposita non sunt simul circa eundem, quia privilegium tollit ius, nec privilegiatus tangitur a iure communi; sed Maria secundum illum tractatum privilegiata fuit, ne contraheret originale de facto, nec eam tetigit ius commune, ut contraheret de iure; et sic contradictio in praedicta distinctione implicari videtur.

Ulterius, distinctio, quae ponitur in eodem, quod aliqui contrahunt originale ex natura, nec praeservantur ex gratia, ut omnes praeter beatam Virginem, aliqui vero ex natura, et tamen praeservantur ex gratia, ut Virgo Maria, inepta fore videtur.

5. Omnes namque concedunt, quod Virgo Maria relicta suis naturalibus habuisset peccatum mortale, cum nullus per naturam possit praeservari ab eo, sed per gratiam solam; sed nullus hanc distinctionem concedit circa actuale pecca-

tum dicendo, quod Virgo mortale contraxit ex natura, sed fuit praeservata ex gratia: ergo nec circa originale locum habebit, ut intelligantur dicta sanctorum, Virginem ab originali fuisse ex natura et ex gratia conservatam.

6. Praeterea, Petrus et Paulus et omnes sancti, qui sunt in gloria, ex mera misericordia[1] praeservati sunt a peccato, et nullatenus a natura: ergo, si haec distinctio locum habeat in peccatis, verum est dicere, quod omnes sancti in paradisi gloria exsistentes hodie habent peccatum mortale a natura, sed carent eo ex gratia divina.

7. Praeterea, si mundari a peccato originali debet intelligi pro praeservari ab eo, quod naturaliter infuisset, ut vult distinctio praemissa, pari ratione Virgo Maria poterit dici mundata a fornicatione et adulterio et homicidio et universaliter ab omni peccato mortali; sed nullus sanctus dicit, eam ab huiusmodi esse mundatam, immo horrent piae mentes de Virgine hoc audire; sancti autem testantur ipsam ab originali mundatam: ergo mundari non debet intelligi pro praeservari, nec contractus originalis in Virgine pro contractu ex natura cum praeservatione facta per gratiam, ut videtur.

8. Praeterea, ad id tendit mundatio, ad quod contractus immunditiae terminatur[2]; sed Virgo Maria hodie mundata non est, quin ex natura sua sit sub originali, sicut aer, quantumcumque illuminetur, ex natura tamen sua remanet tenebrosus et lumine privatus, quantum est ex se, quia lumen non habet nisi a sole: ergo, si non aliter quam ex natura originale contraxit, sequitur, quod non est mundata ab eo, sed adhuc est sub peccato, quod absurdum videtur.

Ulterius, ineptum videtur quod continetur in praedicto tractatu, dicta sanctorum non fuisse confirmata ad hunc finem, quod omnia sint vera et determinatio fidei orthodoxae, sed ad hoc tantum, ut in ecclesia secure legi possint ad differentiam haereticorum et apocryphorum scriptorum.

9. Hoc quidem videtur ineptum, quoniam ecclesia nihil approbat nisi verum; alias, si falsum approbaret, falsitatem foveret; sed dicta sanctorum omnia approbata sunt per ec-

---

[1] E *gratia*.

[2] Ed. nonnulla addit.

clesiam: ergo tenenda sunt ut vera, et oppositum falsitas debet reputari.

10. Praeterea, ecclesia ad hoc dicta sanctorum approbat, ut secure in ecclesia legi possint; sed nullum falsum secure legi debet: ergo omnia dicta sanctorum ab ecclesia determinata sunt tanquam vera.

11. Praeterea, tenens, quod dicta sanctorum non omnia vera sint et tamen ab ecclesia approbata, videtur ecclesiae falsum imponere et errorem: ergo ineptum est hoc dictum, ut videtur.

Ulterius, allegationes, quae in ipso opusculo inducuntur, videntur esse ineptae.

12. Allegatur enim ibi pro auctoritate canonis: *Cinis es, et in cinerem reverteris;* iste autem textus nullibi invenitur, nisi in breviariis: ergo haec allegatio est inepta.

13. Praeterea, auctoritates, quae sumuntur ex chartapellis et non ex completis originalibus, allegantur inepte; sed compositor praedicti tractatus non habet originalia completa, sed tantummodo chartapellas: ergo non est allegationibus eius credendum.

14. Praeterea, in ipso tractatu ponitur auctoritas Anselmi dicentis[1], quod «non est amicus Virginis, qui celebrare respuit festum conceptionis»; haec autem auctoritas non potest esse Anselmi, quia secundum eam romana ecclesia non diligeret beatam Virginem, quae festum conceptionis respuit celebrare: ergo illud verbum non videtur fuisse Anselmi.

15. Praeterea, in ipso tractatu illa Anselmi[2] auctoritas allegatur, quae dicit: «Decebat, Virginem ea puritate nitere, qua sub Deo nequit maior intelligi»; haec autem auctoritas non debet referri ad primitatem temporis, sed debet intelligi intensive, scilicet quod habuit summam gratiam sub Christo: ergo ad illud, quod intenditur, auctoritas inepte allegatur.

16. Praeterea, in eodem tractatu inducitur auctoritas Augustini[3], *De natura et gratia* dicentis, quod, «cum de peccatis agitur, de Maria nullam prorsus vult fieri mentionem»; haec

[1] Pag. 69 nota 1.
[2] Pag. 67 nota 4
[3] Pag. 57 nota 4.

autem auctoritas non debet intelligi de peccato originali, sed de actuali, et ita ad propositum allegatur inepte.

17. Praeterea, in eodem libello adducuntur quadraginta auctoritates, quas ipse compositor invenit in dictis sanctorum; possunt autem plures quam aliae quadraginta ad idem propositum reperiri, quas ipse nec posuit nec invenit: ergo inepte et insufficienter se habuit in allegando.

Ulterius, non videtur vere et apte dici, quod in praedicto tractatu asseritur, Virginem Mariam non intelligi sub illa clausula generali, qua sancti dicunt, omnes praeter Christum originale contraxisse peccatum; a nulla tali regula est excipienda Virgo Maria.

18. Ab illa namque: *Cinis es, et in cinerem reverteris,* non invenitur excepta, quoniam ibi cinis accipitur pro corpore mortuo, secundum illud Genesis 3[1]: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua assumtus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris;* certum est enim, quod statim corpore mortuo, homo vesci desinit pane suo: non ergo debet pulvis intelligi pro incineratione, sed pro corpore mortuo, a quo Virgo excepta non fuit, quae secundum fidem mortem subiit temporalem.

19. Praeterea, ab illa regula[2]: *Omnes quidem resurgemus,* virgo Maria excepta non est, quae aliquando resurrexit, et forsitan tempore, quo apostolus illud dixit, resurrectio Virginis erat futura: ergo illud, quod prius.

20. Praeterea, beata Virgo nunquam dixit illa verba: *Dimitte nobis debita nostra,* quia, si dixisset, nunquam fuisset exemta. Quare non debet eximi a regulis aliis, quae in omnibus locum habent, praesertim a regula de originali peccato.

21. Ultimo, totius tractatus conclusio inepta est, ut videtur, quia, secundum Augustinum[3], non minori, sed maiori scelere laudatur in Deo falsitas, quam veritas vituperetur; falsum enim Deo attribuere est Deum, qui est summa veritas, blasphemare; sed falsum est, quod Virgo Maria originale non contraxit de

---

[1] V. 19.

[2] Pag. 76 nota 2.

[3] Cfr. X *Conf.*, c. 41 n. 66; I *Trin.*, c. 1 n. 1 sq.

facto, ut expresse probatur sanctorum auctoritatibus et canonis. Unde dicit Hieronymus[1], quod nullus homo absque peccato est, excepto illo, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*[2]; et Augustinus, *De nuptiis et concupiscentia*[3], dicit: «Concupiscentia pro facto peccati vinculum generatione traiicit in posteros»; et infra: «Natos ex malo concupiscentiae reos diabolus parvulos tenet»; et infra: «Ex hac carnis concupiscentia tanquam filia peccati quaecumque proles nascitur, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia Virgo concepit. Propterea, quando in carne nasci dignatus est, sine peccato natus est solus». Et in fine eiusdem libri concludit Augustinus, quod «beatus Ambrosius Mediolanensis episcopus, cuius sacerdotali ministerio lavacrum regenerationis accepi, exponens Isaiam prophetam, carnalem nativitatem insinuans, sic breviter est locutus: 'Ideo, inquit, quasi homo per universa Christus tentatus est et in similitudinem hominum cuncta sustinuit; sed quasi de Spiritu natus abstinuit a peccato: *omnis enim homo mendax;* et *nemo sine peccato nisi unus Deus*[4]. Servatum est ergo, ut ex viro et muliere, scilicet per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam huius conceptionis'». Haec Augustinus recitans verba Ambrosii, ut sic sit testimonium duplicatum: ergo hunc falsum honorem Virgini attribuere periculosum est et ineptum.

22. Praeterea, licet peccatum actuale, quod propria sponte committitur et possibile est evitari, indignum sit, ut Virgini attribuatur, nulla tamen indignitas esse videtur de peccato originali, quod evitari non potest; nec talia horrenda sunt circa Virginem, quin immo ex horrore consimili errores aliquando et haereses pullularunt, velut error dicentium, Virginem non mulierem, sed angelum exstitisse; et aliqui ex simili causa dixerunt[5], Christum vivum lanceatum fuisse: ergo a talibus tanquam ab ineptis est penitus abstinendum.

---

[1] Lib. II *Adv. Iovinianum*, n. 2. [2] I Petr. 2, 22.

[3] Lib. I, c. 23 n. 25, deinde c. 24 n. 27; c. 35 n. 40.

[4] Ps. 115, 2 et Ps. 13, 3; cfr. supra pag. 84.

[5] Uti de Petro Ioannis Olivi dixerunt; cfr. *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters*, II, 368.

His ergo et similibus videtur posse infirmari tractatus editus *De Virginis conceptione*. Sed ipsis non obstantibus dicendum est sicut prius, quod remanet integer; nec ex istis, quae quilibet exercitatus aliquantulum posset faciliter dissolvere, praesertim, quia omnia liber iste evacuat, si fuerit intellectus, quisquam rationabiliter moveri debet aut ineptitudinem concipere circa ipsum. Quae, quia commendare esset inservire iactantiae, sicut [1] inserviunt invidiae verba mordacia in oppositum proferentes, supersedendo lectorum sapientiae atque industriae iudicium relinquatur.

Unde ad evidentiam eorum, quae **primitus** inducuntur contra distinctionem propositam de iure et de facto, considerandum est, quod factum potest sumi tripliciter: uno modo pro iuris opposito, sicut consuetum est dici: hoc fit de facto, sed non de iure; alio vero modo pro iuris exsecutione, sicut consuetum est dici de matrimonio rato et consummato, quia contractum est de iure et de facto; tertio modo pro iuris dispensatione; sic cum homicida puniendo de iure dispensatur aliquando, ne suspendatur de facto. In prima autem acceptione nunquam simul stant ius et factum, cum sint opposita; in secunda vero separantur aliquando, cum aliquis habet ius sine exsecutione, ut meliori de iure debetur episcopatus, 8 q. 1 *Licet*, et tamen de facto non potest petere, 8 q. 1 *In scripturis* [2]; et multoties habet aliquis ius in aliqua possessione, et nihilominus non possidet de facto, ut per se patet his, qui in humanis actibus sunt experti; in tertia vero acceptione claret, quomodo separentur; ille enim, qui supra ius existit, potest poenam remittere, ut de facto non contrahat qui tamen de iure contraxit, ut probatur *De officio legati, Nisi specialis* [3]. Et universaliter qui ius a facto et factum a iure non intelligit possibile separari, ita ut aliquis contrahat poenam de iure et non de facto aliquando, sitque reus mortis et tamen non moriatur, qui haec, inquam, non capit possibilia, nescit distinguere inter notum per se et

---

[1] E. *sed.*

[2] C. 9 C VIII q. 1.

[3] C. 3 *De officio legati*, X I, 30. Ed. addit « et lege de clerico, et de clerico, ex quo veniam »; Sess. addit « et lege de clerico et de clerico excom. veniam »; forte alluditur ad C. V c. 35 q. 9.

non notum. Unde non est aptus ad philosophandum secundum doctrinam Philosophi et Commentatoris sui, II *Physicorum* [1].

1. Ad 1 ergo dicendum, quod ius separatur a facto in contractu originalis peccati quantum ad Virginem, quae iuxta leges libidinosae conceptionis nasci debuit filia irae, nihilominus non est nata. Nec valet, quod inducitur de matrimonio rato, in quo simul conveniunt ius et factum; ibi namque accipitur factum pro iuris exsecutione, non pro iuris dispensatione, sicut sumitur in proposito nostro; iuris autem dispensatio tollit, quod illud non insit de facto, quod inesse debet de iure.

2. Ad 2 dicendum, quod contractus per prius et famosius pertinet [2] ad ipsum ius, sicut et omnis obligatio vel collatio vel obtentio episcopatus vel praebendae; si enim dicitur: talis incidit in poenam, intelligitur de iure, videlicet talis contraxit reatum mortis; factum autem videtur esse exsecutio et complementum iuris. Omnes ergo auctoritates sanctorum dicentium, universos filios hominum praeter Christum contraxisse originale, utique verum dicunt, quia omnes contraxerunt de iure, ut, si diceretur: omnes homicidae inciderunt in poenam suspendii, utique verum esset, esto, quod non omnes fuissent de facto suspensi. Aliter etiam dici potest, quoniam ratio deficit in hoc, quod dicta sanctorum, etsi intelligantur de iure et facto in omnibus praeter Christum, excipi tamen potest virgo Maria, pro eo, quod a similibus regulis invenitur excepta, sicut ab illa Augustini, II *De baptismo parvulorum* [3]: « Solus Christus sine peccato vixit inter aliena peccata »; ab hoc enim excipi debet Maria secundum eumdem Augustinum [4]: « Nullum prorsus peccatum vivendo contraxit ».

3. Ad 3 dicendum, quod mundatio tendit ad illud, ad quod contractus munditiae terminatur, quando mundatio accipitur pro purgatione immunditiae et turpitudinis, quae infuit; quando vero accipitur pro praeservatione eius, quod de iure inesse debuit, non est verum, quod ad idem terminetur, sed contractus fuit de iure, mundatio vero et praeservatio a facto.

---

[1] Aristot. et Averroes, II *Phys.*, text. 6.

[2] Ed. *potest pertinere.*

[3] Pag. 1 nota 2 et 3.

[4] *De natura et gratia*, c. 36 n. 42.

4. Ad ultimum dicendum, quod argumentum illud falsum assumit, videlicet, quod ius et privilegium non stent simul; privilegium enim, etsi dicitur iuris privativum, intelligitur privare factum, non tollere simpliciter ius. Unde per privilegium vulneratur ius et eliditur quoad sui exsecutionem, non quod ipsum ius totaliter annulletur respectu personae privilegiatae; quod apparet ex hoc: certum est enim, quod, si privilegiatus non utatur privilegio vel exemtionem omittat, valet processus ordinarii de iure communi factus contra illum, quod quidem non fit per hoc, quod ius novum statuatur vel inducatur, ut probatur *Extra, De privilegiis,* capite *Cum per se,* libri 6 [1] et *Extra, De constitutione, Cum accessissent* [2]. Ex quo concluditur, quod ius commune non erat totaliter annullatum respectu privilegiati, sed tantummodo dormiebat; sic ergo in proposito ius commune respectu Mariae dormivit, ne procederet in factum originalis peccati. Unde in humanis apparet simile tota die, cum dispensatur et privilegiatur aliquis reus de iure, ne puniatur de facto.

Ad evidentiam vero eorum, quae **secundario** inducuntur, considerandum est, quod natura in homine tripliciter sumi potest: primo quidem pro natura simpliciter, secundo vero pro natura vitiata et prostrata, tertio quoque pro omni eo, quod inest, gratia circumscripta; unde ea, quae fiunt ex libero arbitrio vel voluntate, dicuntur fieri ex puris naturalibus. Cum ergo homo dicitur originale contrahere ex natura, non debet istud referri ad naturam simpliciter, quomodo aer dicitur ex natura simpliciter tenebrosus et materia prima informis, nec referri potest ad voluntatem vel liberum arbitrium, cum originale peccatum non sit spontaneum, sed quadam necessitate originis contractum; sed referri debet ad vitiatam naturam; ut intelligatur virgo Maria et « omnis, qui per concubitum maris et feminae concupiscibiliter generatur, natura vitiata per talem originem contrahere originale [4] », nisi de gratia conservetur. Ex quo patet, quod haec distinctio intelligibilis est et apta, videlicet, aliud esse peccatum contrahere ex natura et

---

[1] C. 7 *de privileg.* in VI to V, 7.
[2] C. 8 *de constit.* X I, 2.
[3] Vide pag. 3 nota 4 et 5.

praeservari de gratia; aliud vero sic contrahere ex natura, ut nullatenus praeservetur.

5. Ad 1 ergo inductum in oppositum dicendum est, quod virgo Maria relicta suis naturalibus habuisset mortale peccatum, intelligendo per naturalia voluntatem et liberum arbitrium, non tamen intelligendo per huiusmodi naturalia necessitatem originis vel naturae, cum peccatum mortale sit mere spontaneum et ex libertate arbitrii procedens. Et ideo non potest dici, quod Virgo fuit sanctificata a mortali, quod nec de facto infuit nec etiam de iure aut natura, sicut dici potest sanctificata fuisse ab originali, quod utique quadam naturali necessitate vitiatae originis contrahere habebat. Et universaliter nullus dicitur mundari ab infectione, quae nec inest de facto nec necessitate naturae, sed ex propria voluntate.

6 et 7. Et per idem patet ad secundum et tertium.

8. Ad 4 dicendum, quod aliter virgo Maria et omnis homo dicitur natura filius irae, aliter vero aer natura tenebrosus; hic enim accipitur simpliciter natura, ibi vero natura vitiata; et quia vitium tolli potest per gratiam, natura vero non tollitur, idcirco hodie Virgo non est naturaliter sub originali peccato, sicut prima materia dicitur semper informis naturaliter vel aer tenebrosus.

Ad evidentiam autem eorum, quae **tertio** inducuntur, considerandum est, quod aliquod dictum vel verbum potest ad finem triplicem per ecclesiam confirmari: primo quidem, ut verum sit; secundo, ut non haereticum aut illicitum sit; tertio vero, ut omnino verum et de necessitate fidei sit ac salutis.

Ad propositum ergo sic: dicta sanctorum confirmata sunt per ecclesiam, non, ut omnino sint necessaria ad credendum et eorum oppositum sit erroneum; alioquin tantam auctoritatem haberent quantam evangelia et canonica scriptura; nec confirmata sunt tanquam vera sic, quod ecclesia omnia, quae sancti dicunt, reputet vera, alias contradictoria reputaret esse vera, ut patet de se; aliquando enim invicem contradicunt et sunt diversarum opinionum; multas etiam absurditates pro veritatibus confirmasset, ut: quod visio fiat per radiorum extramissionem, secundum quod dicit Augustinus [1], vel quod angeli

[1] I *Gen. ad litt.*, c. 16 n. 31.

sint corporei, et similia [1]. Sunt ergo ad istum finem confirmata, quod, quidquid dicunt, sive verum sive falsum sit, non tamen est erroneum aut haereticum vel periculosum in fide, siquidem non omne falsum haeresis est vel error; dicta vero haereticorum per oppositum ideo reprobata sunt, quod non solummodo falsa continent, immo erronea et omnino abiicienda.

9. Ad 1 ergo inductum in oppositum dicendum est, quod immo ecclesia aliquid approbat, quod tamen non approbat tanquam verum, sed tanquam non haereticum, erroneum sive periculosum.

10. Ad 2 dicendum, quod ideo dicta sanctorum secure legi possunt, esto etiam, quod aliqua essent forsitan minus vera, pro eo, quod legentem in errorem vel haeresim non inducunt.

11. Ad 3 dicendum, quod hoc dicens, salva reverentia arguentis, nullum errorem imponit Ecclesiae, quoniam non approbat nisi verum; hoc siquidem verum est, quod omnia dicta sanctorum sive in se vera sint sive forsitan minus vera, omnia tamen tuta sunt et catholica et ab haeresi aliena.

Ad evidentiam autem eorum, quae **quarto** loco inducuntur, considerandum est, quod allegationes, quae in libello *De conceptione Virginis* inducuntur, sumtae sunt et abstractae per dictatorem libelli ex completis originalibus et integris libris, qui quidem habet aeque pulchra originalia, sicut illi, qui corde magnifico de praefatis iactatorie gloriantur.

12. Ad 1 ergo inductum in oppositum dicendum est tripliciter: primo quidem, quod illa regula: *Cinis es, et in cinerem reverteris,* in tractatu ipso non allegatur tanquam textus sacrae scripturae, sed absolute; propter quod instantia non procedit; secundo vero, quia haec regula tracta est non ex scriptura in Genesi, sed ex sermone Augustini *De Virginis assumtione* [2]; ubi dicit Augustinus, «Mariam exemtam fuisse, ne resoluta fuerit in communem putredinem, vermem et cinerem»; tertio vero, quia translatio alia habet in Genesi [3]: *Cinis es, et in cinerem reverteris.* Quod apparet [4] ex hoc, quod ec-

[1] Pag. 75 nota 7.

[2] C. 3.

[3] Cfr. 3, 19.

[4] Hic aliquod deesse videtur, ut «*Quae translatio tuto adhiberi potest; quod apparet*».

clesia semper sumit de alia translatione, ut est illud[1]: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis prae participibus tuis,* et similia; unde Gregorius non sumsit ea, quae in ecclesia cantantur, ex translatione Hieronymi, sed ex translatione Septuaginta; sicut patet, quod nos cantamus[2]: *Puer natus est nobis, et vocabitur magni consilii angelus,* iuxta translationem Septuaginta. Cum hoc etiam in idem redit: *Pulvis es, et in pulverem reverteris,* acsi diceretur, *cinis.*

13. Ad 2 dicendum, quod auctoritates, quae in tractatu positae sunt, non sunt sumtae ex chartapellis, nec allegans habet tantummodo chartapellos, salva praesumtione dicentis.

14. Ad 3 dicendum, quod auctoritas illa Anselmi vera est et sua est; aliud namque est respuere festum conceptionis et aliud non celebrare ipsum, quia respuere condemnationem festi et vilipensionem atque abiectionem includit; ecclesia autem romana, etsi conceptionem non celebrat, non tamen abominatur vel contemnit, et propterea, quia Virginem diligit, conceptionem celebrare non respuit.

15. Ad 4 dicendum, quod auctoritas Anselmi, qua dicitur, quod « decebat, Virginem ea puritate nitere, qua sub Deo nequit maior intelligi », inducitur ab eodem ad probandum, quod Mater Dei debuit esse virgo nec unquam a viro cognita, quod utique non probaret, si illa puritas referretur tantummodo ad intensionem et non ad temporis primitatem; constat enim, quod aliqua non virgo et cognita a viro potest esse purior intensione et mente et corpore quam multae virgines. Ex quo apparet, hanc puritatem ad hoc debere referri, ut nec fuerit in praeterito aliqua macula aut libidinis turpitudo in corpore nec aliqua foeditas peccati aut culpae in anima et in mente.

16. Ad 5 dicendum, quod illa auctoritas Augustini, *De natura et gratia,* non inducitur in tractatu absolute, sed magis arguendo, quod, si Christus in Matre sua horruit veniale peccatum, quod minus est, multo fortius in ea horruit originale, quod est maius, cum separet a gratia et a vita aeterna.

17. Ad ultimum dicendum, quod sive quadraginta sive centum auctoritates aliae inducantur, omnes similes sunt in

---

[1] Ps. 44, 7. [2] Is. 9, 6.

effectu illis, quae inducuntur in tractatu, et per eandem viam a proposito nostro cadunt.

Ad evidentiam autem eorum, quae **quinto** loco inducuntur, considerandum est, quod negantes, Virginem debere excipi a regulis generalibus aliorum, expresse contradicunt et obviant sententiae Augustini, cuius verba sunt ista in sermone *De Virginis assumtione*[1]: «Non immerito excipitur, ait, a quibusdam regulis generalibus vera aestimatione Maria, quam tanta servat gratia et attollit dignitatis praerogativa; quantum enim potestas Christi possit, mundi ostendit universitas, quantum vero gratia, Mariae monstrat integritas, quae, sicut diversa est a natura, ita diversa est ab usu».

18. Ad 1 ergo dicendum, quod Augustinus expresse eam excipit ab illa regula: *Cinis es, et in cinerem reverteris*, ibidem[2] dicens, quod, «si hoc de morte dicitur, generalis est sententia; si de resolutione in pulverem, hanc conditionem Christi caro evasit de carne Mariae sumta», et per consequens Mariae caro. Nec valet, quod dicitur, cinerem ibi sumi pro corpore mortuo, quia Augustinus dicit, duobus modis posse intelligi, scilicet vel de morte vel de incineratione.

19. Ad 2 dicendum, quod illa regula: *Omnes quidem resurgemus*, similis est illi, quam Augustinus ponit, *De fide ad Petrum*, capite 29[3] dicens: «Firmissime tene et nullatenus dubites, omnibus hominibus, bonis et malis, resurrectionem carnis in adventu Domini futuram esse communem, secundum quod apostolus ait[4]: *Omnes quidem resurgemus*». Haec Augustinus. Ex quo patet, quod ista regula quae dicit, resurrectionem esse futuram communem, generalissima est, et tamen ab illa excepta est virgo Maria.

20. Ad ultimum dicendum, quod Augustinus, II *De baptismo parvulorum*, dicit[5], omnes praeter Christum indigere pro quotidianis defectibus illam orationem dominicam frequentare: *Dimitte nobis debita nostra*, nec excipit Mariam virginem haec dicendo: cum ergo haec sit regula generalis, a

---

[1] C. 4. [2] C. 3.
[3] P. L. 40, 774. [4] I Cor. 15, 51.
[5] C. 4 n. 4 et *De natura et gratia*, c. 35 n. 41.

qua nihilominus excipienda est Maria, evidenter concluditur, quod a regulis generalibus ceteris excipi debet, quae non congruunt eius sanctitati.

Demum dicendum est ad ea, quae contra conclusionem in toto tractatu intentam superius inducuntur.

21. Ad 1 quidem, quod nullo modo falsitas aut falsus honor est Virgini tribuendus; iste autem falsus honor non est, nec contrarius dictis canonis aut sanctorum. Quod enim ait Hieronymus [1], nullum hominem absque peccato esse, et quod dicit Augustinus [2], concupiscentiam peccati vinculum in posteros traiicere, et natos ex malo concupiscentiae reos esse, et cetera omnia, quae sequuntur, intelligenda sunt de omnibus, excepta Maria, quae merito privilegiari debuit in hoc, ut in ipso tractatu exstitit declaratum.

22. Ad 2 vero dicendum, quod omne peccatum repugnat matri gratiae, sive sit originale sive mortale vel veniale, cum peccatum et gratia opponantur. Propter quod aures piae aliqualiter exhorrescunt in fonte gratiae maculam culpae. Nec est simile de fatuitate haeretica horrentium ipsam fuisse mulierem et per consequens dicentium, quod fuit angelus, aut dicentium, quod Christus vivus exstitit lanceatus, quoniam de istis sunt in oppositum expressae sententiae in scriptura. Sicut et in oppositum illius erroris de paneitate, quem aliqui docuerunt Parisius, me praesente, videlicet, quod panis non transsubstantiabatur in corpus Christi, nec vinum in sanguinem in sacramento altaris, sed Christus mediante carne assumebat panem et mediante sanguine assumebat vinum, ut esset magis sacramentum assumtionis quam transsubstantiationis; in oppositum, inquam, huius opinionis est directe canon *De summa Trinitate et fide*, capite [3] *Firmiter credimus*, et *De celebratione missarum*, *Cum Marthae* [4]. Et in oppositum illius opinionis, quae dicit, carnem Christi non iacuisse in sepulchro eandem profecto plane ac verissime cum illa, quae egressa fuit de virginali utero et quae pependit

---

[1] Pag. 144 nota 1. [2] Pag. 144 nota 3.

[3] C. 1 *de summa Trinit. et fide*, X I, 1.

[4] C. 6 *de celebrat. missar.*, X III, 41.

in ligno et quae tertia die resurrexit, in oppositum inquam, istius opinionis est caput *Ambrosii* [1], positum in *Decretis* d. 9 [2]: *Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit* [3].

Donec itaque sacrosancta romana ecclesia sic expresse determinaverit, sicut ista expressa sunt, quid de conceptione aut sanctificatione immaculatae Virginis tenendum, *iustificationem* eiusdem Virginis, *quam tenere coepi, non deseram; neque enim reprehendit me cor meum* [4].

---

[1] Hic locus collectus est ex libro *De myster.*, c. 9 et IV *De sacram.*, c. 4.
[2] C. 74 D. 2 *De consecrat*
[3] Ps. 113, 11.
[4] Iob 27, 6.

INDEX

Praefatio . . . . . *Pag.* VII

QUAESTIO GULIELMI GUARRAE.

Quaeritur, utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato. . 1

QUAESTIO IOANNIS DUNS SCOTI.

Utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato? 12

TRACTATUS PETRI AUREOLI.

CAPITULUM I. In quo ponuntur auctoritates **canonis,** deinde **sanctorum,** tertio **rationes,** quibus videtur concludi, quod fuerit in originali peccato concepta. 23

CAPITULUM II. In quo ponuntur quaedam distinctiones et punctus inquirendus 35

CAPITULUM III. In quo probatur, quod Deus de potentia ordinata potuit Virginem praeservare, ne originale contraheret. . . . 49

CAPITULUM IV. In quo ostenditur, quod de summa decentia ipsam potuit praeservare. 53

CAPITULUM V. In quo ostenditur, quod absque fidei periculo potest teneri, quod Deus eam praeservavit de facto: nec una pars vel alia est de necessitate fidei, donec per Ecclesiam determinatum fuerit, quid tenendum 71

CAPITULUM VI. In quo solvuntur auctoritates et rationes in primo capitulo inductae 78

REPERCUSSORIUM PETRI AUREOLI.

CONCLUSIO I. Quod appetitus sensitivus suae naturae derelictus non est id, a quo oritur carnalis stimulus aut rebellio actualis; quin immo oritur ex qualitate aliqua vitiosa positiva et addita nostrae carnis substantiae ac naturali potentiae appetitus; et est ista qualitas materiale in originali peccato. 96

CONCLUSIO II. Quod privatio originalis iustitiae non est formale in peccato originali, sed materiale tantummodo; nec numerum ponens ad aliud, quod habitualis rebellio nuncupatur 105

Conclusio III. Quod in originali peccato Dei offensa formale est et Dei odium obiectivum . . . . . *Pag.* 110
Conclusio IV. Quod causale respectu originalis peccati non est decisio sola seminis, sed libidinosa conceptio, sine qua mulier concipere non valet in hoc statu naturae corruptae. 118
Conclusio V. Quod originalis iustitia ibi erat subiective, ubi nunc est rebellio, in appetitu sensitivo 125
Conclusio VI. Quod originale peccatum ob hoc omnibus ex Adam libidinose descendentibus imputatur, quia tota natura exsistens in ipso virtualiter quodammodo consensit in peccatum . . . 133
Conclusio VII. Quod seminis alteratio et corporis formatio proprio modo loquendi dici potest conceptio 137
Conclusio VIII. Quod totus liber de conceptione intactus ac verus remanet, nec ineptus. 139

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 16 Novembris 1904.

Can. Alex. Ciolli, *Vic. Glis.*

Ex parte Ordinis nihil obstat, quominus imprimatur.

Ad Claras Aquas, die 17 Octobris 1904.

Fr. Dionysius Schuler, *Min. Glis.*

128942

232.931C
W67

Quaestiones disputatae de immaculata conceptione beatae Mariae Virginis.

BERGER BDY. JAN 24'56
RETURNED MAR 15'56

128942

232.931C
W67